43
D

U. J. DOCTORIS

FABII TROYLI

Presbyteri, ac Patricii Montisalbani Tricaricen, Nunciaturaeque Apoſtolicae Neapolitanae Pauperum Procuratoris,

ANIMADVERSIONES IV.

ADVERSUS

DISSERTATIONEM HISTORICO-PHISIOLOGICO-MORALEM

De Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali Jejunio, quam memorat Socrates lib. v. ſuae Hiſt. Eccleſ. cap. XXII., *de anno proximo elapſo* 1723.


A' NUPERO AUTHORE

NEAPOLI TYPIS EDITAM.

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino,

D. NICOLAO COSSAE

Patricio Beneventano, Archiepiſcopo Traianopolitano, Pontificio Solio Praeſuli aſſiſtenti, SS. Domini Noſtri BENEDICTI XIII. feliciter Regnantis Precum, ac Memorialium è ſecretis, &c. D.



ROMA

NEAPOLI MDCCXXIV.
Ex Typographia Antonii Mutii.

Superiorum facultate.

ILLUSTRISSIME, ET REVERENDISSIME

DOMINE.

QUO' tandem compulit me neceſſitas Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domine, publica luce donari Animadverſiones contra Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico-Moralem, quam edidit nuperus Author circa Piſcium, atque Avium eſus conſuetu-

ſuetudinem in Antepaſchali jejunio, ne pro ciborum delectu rueret, quòd horrent piae aures, inveterata praxis Eccleſiae tradita, neve Fideles circumferantur omni vento doctrinae in nequitia Hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris, & per inanem decipiantur Philoſophiam. Magnum mihi ſanè apertum eſt oſtium ad veritatis munìmen, licet ex adverſo nonnulli quibuſdam notulis tamquam novo vallo, aggeribuſque novam illam, ac prorſus inauditam conentur praemunìre ſententiam, Authoremque Diſſertationis ab erroribus excuſare: Quamobrem ſtatim, ac mihi in mentem venit tui Nominis claritas, te Mecoenatem eſſe, te Patronum hujus Opuſculi enixè deprecatus ſum, ut annueres, ſub umbra alarum tuarum idque defenderes. Spes autem me non fefellit; ſciebam enim te ab omnibus haberi inter Praeſules, uti exploratorem Domus Iſrael vigilantiſſimum, & in cuſtodia vineae Domini Sabaoth Zelotypum Antiſtitem; mirantur enim cun-

cti

ſti in te uno Balthaſſaris Coſſae Patricii Neapolitani, qui ſibi nomen ſumpſit Joannis XXIII. indolem, animique dotes, cujus cum ſtemmate genus, fortitudinem, ac dexteritatem in agendis haereditario jure adeptus es: Hic fuit ille Pontifex, qui Paulum Urſinum in Ladislaum Regem Eccleſiae Hoſtem, & Angeli Corarii Pſeudopontificis fautorem immiſit, & commiſſo certamine fugatus eſt Ladislaus magna ſuorum ſtrage, precipuorumque Procerum captivitate: Tanta quippe fuit inter Joannem XXIII., & Urſinorum nobiliſſimam Familiam adfinitas, ut & Joannem Cardinalem Urſinum ad Albanenſem Eccleſiam evexerit; fuit namque Cardinalis ille imperterritus Sedis Apoſtolicae Legatus in Urbem, ac viciniora loca profectus, ut ad ſeditionem ſopiendam incumberet, Patricios Pontificis partibus addictos ad rem ſtrenuè gerendam excitavit, & Joannis Urſini virtute res Ludovici Bavari Romae, Italiaque tota ſenſim dilapſae ſunt. Longum eſſet re-

Leonardus Aretinus, & Div. Antoninus in Vita Joann. XXIII.

Natalis Alexander Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſeculo XV., & XVI. Tom. I. n. 17.

Platina in Vita Joann. XXIII.

Natalis Alexander Hiſtor. Eccleſ. ſeculo XIII., & XIV. p. 3. nu. 177.

retexere tuorum Praedeceſſorum clariſſima geſta, niſi in promptu haberem tuam modeſtiam, quam offenderem; Marciani Coſſae Celeberrimi juris interpretis, qui conſcripſit libros Regularum, & alios; & in Lyceo Neapolitano Joannis Dominici Coſſae Anteceſſoris primarii Cathedram Veſpertinam legum regentis. Hi ſunt tuae Familiae fulgentiſſima ſydera, & alii quamplures, quos Bellorum clades ſuſtulit, & in factionibus noſtri Regni, turbata Pax, clanculùm ire coegit; imò pleroſque profugium, & aſylum quaerere apud Gallos, alios autem in diverſas Regni Provincias, ut privatam vitam ducerent abire neceſſe fuit. Quòd ut benè diſpexerat BENEDICTUS XIII. PONTIFEX MAXIMUS in moderandis Eccleſiae Beneventanae rebus, circà mores, ac politìam te praeelegit, tuam ſcientiam, ac ſolertiam intuitus; inde ad ingentia munera accitus es, ut pro Eccleſia Dei FULCIMENTUM MAGNUM evaderes; tuaeque Patriae

Nea-

Neapolitanae , à qua Atavorum Illuſtrium ſanguinem trahis , decus eſſes ſplendidiſſimum . Facere non poſſum quin glorier ſimul , & exclamem , id omnium praeclariſſimè , atque honorificentiſſimè mihi contigiſſe , tibi hoc Opuſculum fore nuncupandum , ut me ab invidis morſibus defenderes , ac in tuam clientelam reciperes . Fas ſit mihi illud repetere, quòd in limine ſuorum operum ad Urbanum II. ſcribebat Anſelmus : Sicuti nulli digniùs poſſum, ità nulli libentiùs praeſentem Epiſtolam , quam veſtrae deſcribo ſapientiae, quatenus , ſi quid in ea corrigendum eſt , veſtra cenſura caſtigetur, & quòd regulam veritatis tenet , veſtra Authoritate roboretur . Abſit à me inanis gratiae , aùt ambitionis fucus , ſed ut intelligas nomini tuo majus , aùt dignius à me praeſtari non poſſe , qui in hoc ſcribendi genere ſum minimus . Vale , & ad majora Eccleſiae Univerſalis incrementa Deus Omnipotens diu-

Apud Neapolim Sacram Equitis D. Caeſaris Encena Caracciolo, fol.304., à verſ.19.

D. Anſelmus in praefatione ſuorum operum ,

diutiſſimè te ſervet incolumen . Neapoli XII. Kalendas Octobris M. DCC. XXIV.

Dominat. V. Illuſtriſs., & Reverendiſs.

Humillimus , & obſequentiſs. Famulus
Fabius Troyli.

EMINENTISS., E REVERENDISS. SIGNORE.

IL Dottor D.Fabio Troyli Procuratore de' Poveri della Nunziatura Apoſtolica di queſta Città, e Regno eſpone all'Em. V., come deſidera dare alle Stampe un Libro titolato: *V.J. Doctoris Fabii Troyli Presbyteri, & Patricii Montisalbani, Tricaricen, Nuntiaturaeque Apoſtolicae Neapolitanae Pauperum Procuratoris, Animadverſiones quatuor, adverſus Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico-Moralem, de Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali Jejunio, quam memorat Socrates lib.v.ſuae Hiſt. Eccleſ.cap.xxII.de anno proximo elapſo* 1723. *à nupero Authore Neapoli Typis editam*. Nè ſupplica perciò l'Em. V. di darneli licenza. Che &c.

Rev. D.Franciſcus Jorio Vicarius Curatus Eccleſiae Cathedralis revideat, & referat. Neapoli 20. *Februarii* 1724.

HONVFRIVS EPISCOPVS CASTELLANENS. VIC. GEN.

D.Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISS., ET REVERENDISS. DOMINE.

JUſſu Em. V. legi Librum, cui Titulus: *V.J. Doctoris Fabii Troyli Presbyteri, & Patricii Montisalbani, Tricaricen, Nunciaturaeque Apoſtolicae Neapolitanae Pauperum Procuratoris Animadverſiones quatuor, adverſus Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico Moralem, de Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali*

Jenu-

Jejunio, quam memorat Socrates lib.v.ſuae Hiſt.Eccl.cap.xxII. de anno proximo elapſo 1723. *à nupero Authore Neapoli Typis editam*, in quo non ſolum omnia tum Ortodoxae Fidei principiis, tum rectis moribus conſona inveni; verum etiam rem Theologicam, qua Dogmaticam, quave moralem, cum re Hiſtorica, qua Eccleſiaſtica, & qua Sacra apprimè ſum admiratus, conſolatuſque. Quamobrem Tantae Copiae, Tantoque apparatui Pietatis Doctrinae, & Gloriae Chriſtianae nihil deeſſe. nihilque quòd deſiderari poſſe mihi videtur, quo minus Opus iſtud Typis mandari poſſit; ſi ita tamen Em. V. placuerit. Neapolis 27. Maji 1724.

Em. V.

Humillimus, omnique Obſequio additiſſimus Famulus
Franciſcus Jorio.

Attenta ſupradicta relatione, Imprimatur. Neap. 30. *Maji* 1724.

HONVFRIVS EPISCOPVS CASTELLANENS. VIC. GEN.

D.Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

IL Dottor D.Fabio Troyli Procuratore de' Poveri dell. Nunziatura Apoſtolica di queſta Città, e Regno di Napoli,eſpone all'E.V., come intende dare alle Stampe un Libro Titolato: *V.J. Doctoris Fabii Troyli, Animadverſiones quatuor adverſus Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico-Moralem de Piſcium,atque Avium eſus conſuet.&c.*Che però ſupplica V.E. a darli licenza di poterlo far Stampare. Che, &c.

Rev.D.D.Petrus Antonius Turris videat,& in ſcriptis referat.

MAZZACCARA R. GIOVANE R.
ALVAREZ R. PISACANE R.

Spect.R.MIRO abſens. Ill.Dux Lauriae non interfuit.

Proviſum per S.E. die 23. Martii 1724.

Lombardus.

EXCELLENTISS., ET EMINENTISS. DOMINE.

VIdi, & legi Librum praetitulatum: *V.J. Doctoris Fabii Troyli Animadverſiones quatuor adverſus Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico-Moralem de Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine, &c.* & cum varia, & multiplici eruditione contextum, nihil occurrat, quòd Regiam laedat Juriſdictionem, aut bonis moribus adverſetur: Undè hilariter perlegi, & ut opus verae Pietatis, & Religionis laudavi; ideòque ſi ita videbitur Em. V. poſſe Typis mandari cenſeo. Neapoli die 30. Aprilis 1724.

Em. V. *Humill., & Obſequentiſs. Servus*

Petrus Antonius Turris.

Viſa retroſcripta relatione, Imprimatur; verum in publicatione obſervetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA R. ALVAREZ R. PISACANE R.
ULLOA R. GIOVANE R. SOLANES R.

Spectabilis Regens MIRO abſens.

Proviſum per S. Em. die 22. Maji 1724.

Lombardus.

Hujuſmodi enim Chriſto Domino non ſerviunt, ſed Ventri. 2. ad Timoth. 3. ver. 6.

PRAEFATIO AD LECTOREM,

Et ad Opus Introductio.

I. ARDUAM nimis, duramque ſi-
nè dubio aggredimur provìn-
ciam, Lector benevole, dùm
per has noſtras Animadverſiò-
nes ad limam examinis revo-
care, in trutinaque diſcuſſio-
nis appendere attentamus:
*Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico-Moralem de Pi-
ſcium, atque Avium eſus conſuetudine in Antepa-
ſchali jejunio*, quae non ſinè Authoris plauſu
(cujus nomini ob illius reverentiam parcimus, ne
videamur contra Perſonam, & non potiùs adver-
ſus operis inſubſiſtentiam noſtrum dirigere ſer-
monem) plurium manibus circumfertur, cùm il-
lius Patronus, utpote in Theologicis diſceptatiò-
nibus, Ritibùſque Eccleſiaſticis apprimè versàtus,
ſicuti in aliis ſuis opuſculis literario Caetui pro-
priae Sapientiae ſperimen tradidit, ex hiſce noſtris
lucubrationibus laceſsìtus, nova in ſui poſſit de-
fenſionem cudere, & majora ſui acrioris ingenii
monumenta contra nos praelo committere. Sicque
altera excitatâ pugnâ, iterumque ad literariam
palaeſtram vocati, ubi dicendi ratio, & Humanae
Sapientiae verba nobis, ob parvitàtem ingenii non
ſuppetunt, aùt ſuccumbere neceſſe eſt, aùt robu-

ſtiòres recolligere oportet vires ad hoc, ut poſsìmus reſiſtere Homini, qui vindicatam apud Eruditos ſibi acquiſivit eloquentiae famam; quando in Proverbiis admonet Salomon, fugiendam contentiònem: *Honor*, inquit, *eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus*, quia haec juxtà Iſidorum: *Lites paſcit, faces odiorum accendit, concordiam rumpit*; utpotè, quae ex Invidiâ, & inani gloriâ originem ducere ſolet, ſicuti ad illud Pauli ad Philippenſes: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam*, explicat Theophilàtus, inquiens ibi: *Nihil per zelum, & per contentionem facientes, eo modo quo ſolemus dicere, danda eſt mihi opera ne me fortaſſis ille vincat. Hoc enim eſt contentio. Deinde matrem hujus adducit vanam gloriam, ex hac enim illa naſcitur.* Reticentes ſcandala, quae ex hujuſmodi literariis colluctatiònibus orìri ſolent; ſicuti ad illa alia verba Pauli ad Thimotheum: *Noli verbis contendere; ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem Audientium: ſtultas, & ſinè diſciplina quaeſtiones devìta, ſciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes*, obſervat Gloſſa interlinealis, dicens: *Contentio minùs ſtabilis generat ſcrupulum; ſolent enim in contentione tali oppòni elimàto malevolentiae ferro (ſeù argumento), ut moveant animos inſipientium fratrum. Nec poteſt eſſe quin contentio extorqueat aliquid, quòd dicatur contrà conſcientiam, ut intùs in animo perdat, & foris victor abſcèdat. Nemo enim patitur ſe vinci, licèt ſciat vera eſſe, quae audiat.*

Proverb. 20. verſ. 3.
Iſidor. lib. 2. Soliloq. cap. 8.
Ad Phil. 2. verſ. 3.
Theophil. ibi.
2. ad Thimoth. 2. verſ. 14. & 23.
Gloſs. ibid.

II. Attamen, quia in praeſenti non intèndimus per has noſtras Animadverſiònes ex Adversàrio reportàre triumphum; cùm hoc proprium ſit Etherodo-

rodo-

rodoxorum, de quibus ſcripſit Bernardus: *Omnibus una intentio Haereticis fuit captare gloriam de ſingularitate doctrinae*, ſed tantummodò veritàtem exquirere, ſicutì docebat Auguſtinus: *Non de gloria comparànda, ſed de invenienda veritate tractèmus*, ut cùm Salomòne dicere poſsìmus: *Veritatem meditabitur guttur meum*; licèt Author *Diſſertationis* Rhetoricae floribus redimìtus appareat, noſque non in Humànis Sapientiae verbis inſtructi, itaut repetere ipſi poſsìmus, quòd olim praelaudàtus S.Bernardus in diſputatione dicebat Cardinali Petro Piſano tempore ſchiſmatis Petri Leonis: *Scio*, inquit, *te virum ſapientem, & literatum eſſe, & utinam ſanior pars, & honeſtiora te occuparent negotia .. Utinam te patronum cauſa juſtior, & felicior obtineret; & ſinè dubio rationabilia allegantem nulla poſſet impedire facundia. Et nos quidem agreſtes ſaepiùs ligonibus, quàm Pragmaticis declamationibus aſſueti, ſi cauſa Fidei non urgèret, inſtitutum ſilentium teneremus.* Ipſa veritas non minùs elucefcet in perſuaſibilibus Humanae Sapientiae verbis, quibus abundat Author *Diſſertationis Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis*, quàm in ſimplicitàte ſermonis, quae in hiſce noſtris Animadverſiònibus videtur praeferri; quia (ut in ſimilibus dicebat Salvianus): *Nos rerum magis, quam verborum amatores, utilia potiùs, quam plauſibilia ſectamur: non id quaerimus, ut in nobis inania Saecularium ornamenta, ſed ut ſalubria rerum emolumenta laudantur*. Repetentes in praeſentiarum benevolo Lectori quoad noſtram dicendi methodum id, quòd, non ex neceſſitàte, ſed, vèl ex humilitàte, vèl ex recta ſcribendi ratione dictitabat ad Nepotiànum Hieronymus; *Non a me quaeras pueriles*

S. Bernard. ſerm. 65. in Cantic.

S. Auguſtin. lib. 3. contra Accadem. c. 14.

Proverb. 8. verſ. 7.

Ex Vit. S. Bernard. lib. 2. cap. 7. num. 4.

Salvian. . . .

S. Hieronym. in Epip. ad Nepot.

declamationes, ſententiarum floſculos, verborum lenocinia, & per fines capitulorum ſingulorum acùta quaedam, brevioraque concluſa, quae plauſus, & clamores excitant audientium.

III. Neque deeſt reſponſum ad id, quòd de contentiòne incremèntum faciebat, ſuperàddendo, nos non ultrò hos ſuſcepiſſe labòres, non ſpontè huic operi porrexiſſe manuum, (*quo caſu, etiam poterat habere locum, quòd olim dicebat* Vellejus Paterculus: *Alit emulatio ingenia, & nunc admiratio imitationem accendit*), ſed ad ſcribendum impellimur ad finem retundèndi doctrinam non ſanam, circa licitam Volatilium eſum tempore Quadragèſimae, quem in ipſa *Diſſertatione Hiſtorico-Phiſiologico-Morali*, non ſinè animi dolore conſpeximus, cujus adminiculo ſuffulti non pauci in expeditione comedèndi Aves diebus vetitis animum praeparàre intelleximus. Unde, nè Apoſtolica Doctrina de abſtinentia à carnibus tempore jejunii hac nova opiniòne, veluti Evangelicum ſemen in agro Domini à zizaniis obruatur, neceſſe fuit pro parvitàte noſtri intellectus his Dogmaticis Animadverſiònibus in arènam pro Domo Iſraël deſcendere, & quantum fas erit, veritatem Evangelicae Doctrinae in ſua puritàte oculis Fidelium exponere. Scientes in hujuſmodi caſibus non ſolùm Paulum reſtitiſſe in faciem Principis Apoſtolorum, Vicariique Salvatoris, ex eo, quòd non rectè ambulàret ad veritàtem Evangelii; & Auguſtinum diù altercaſſe cùm Hieronymo circa comeſtiònem Legalium, an licèrent, vèl nè in prima Eccleſiæ fundatiòne; ſed etiàm Magiſtrum

Patercul. lib. 1. hiſtor. cap. 17.

Aqui-

Aquinam laudaſſe hujuſmodi diſceptatiònes pro veritàtis enucleatiòne, ſuoſque docuiſſe diſcipulos, quòd: *Si contentio dicatur impugnatio falſitatis cùm debito modo acrimoniae, ſic contentio eſt laudabilis*. Adeòque in defenſiònem hujus aſſumpti operis contrà *Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico-Moralem De Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine in Antepaſchali jejunio*, valet ea verba repetere, quae in ſui purgatiònem habuit dicere magnus Romanae eloquentiae Pater, quando neceſſitas eum compulit in publico Senàtu advèrſus Verrem cauſam pro Siculis aſſumere: *Quo in negotio*, inquit, *illa me res, Judices, conſolatur, quod haec, quae videtur eſſe accuſatio mea, non potiùs accuſatio, quam defenſio eſt exiſtimanda: Defendo enim multos mortales, multas Civitates, Provinciam Siculam totam: Quamobrem ſi unus mihi eſt accuſandus, propemodum manere in inſtituto meo videor, & non omnino à defendendis hominibus, ſublevandiſque diſcedere*. Quià per has noſtras Animadverſiònes cauſam Eccleſiae ſimplicitèr agimus, ſalutìque multòrum intèndimus conſulère, & ſi videàmur oppugnàre falſam doctrinam de comedendis Avibus tempore Quadragèſimae, in praefata Diſſertatiòne contentam.

S. Thom. 2. 2. q.38. art. 1.

Cicer. Divinat. in Verrem, ſive de conſtituend. Accuſat.

IV. Siquidèm hujuſmodi novae ſentèntiae, prurientes auribus, aſſimilàntur ſcintillae, quae ſi non ſtatìm extinguàtur, in maximas poteſt erumpere flammas, ſicutì perbellè in Haereticòrum erroribus adnotàvit Hieronymus, dicendo: *Scintilla res parva eſt, penè dùm cernitur non videtur, ſed ſi fomitem comprehendit, & nutrimenta ſui (quamvis parvus ignis) invenit, maenia, urbes, latiſſimos ſaltus, regio-*

S.Hieron. in cap. 5. ad Galat.

regioneſque conſumit. Fermentum quoque res modica videtur, & nihil, ſed cùm farina conſperſum, totam maſſam ſuo vigore corrumpit, in illius vim tranſit omne, quod mixtum eſt. Ita & doctrina perverſa paulatim ut cancer ſerpit in corpore, ac juxtà vulgare proverbium, unius pecudis ſcabies totam commaculat gregem. Igitur & ſcintilla ſtatim ut apparuerit extinguenda eſt, & fermentum a maſſae vicinia removendum, & ſecandae putridae carnes, & ſcabioſum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, maſſa, & corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. Arius in Alexandrìa una ſcintilla fuit, ſed quoniam non ſtatim oppreſſa eſt, totum Orbem ejus flamma populata eſt. Et S. Bernardus ad illud Canticorum: *Capite nobis Vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas,* explicans per Vulpes vitia naſcentia, quae ſub ſpecie palliata virtutis ad ſummum nocère ſolent, etiam illas admonet in incunabulis praeſocandas: *Ideo*, inquit, *parvulae Vulpes dicuntur, ut naſcentia vitia in ipſo ortu, donec utique parvula ſunt, vigilantèr obſervans illicò comprehendas, ne creſcentia plus noceant, & difficiliùs capiantur.*

Cantic. 2. verſ. 13.

S. Bernard. ſer. 64. in Cant.

V. Et tametſi ipſa prima fronte non videàtur Author *Diſſertationis* licitam edocère comeſtiònem Avium in Antepaſchali jejunio, ſed tantummodò recensère vetuſtam quorundam Fidelium conſuetudinem, apud Socratem repertam, ſicuti titulus ipſe praeſefert: *De Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali jejunio, quam memorat Socrates lib. v. ſuae Hiſtoriae cap. 22.*, latet nihilòminùs anguis in herba, & ſub hac antiquae narrationis ſpecie novam ſinè dubio vidètur introducere in Eccleſiam erga cibo-

bo-

borum delectum ſententiam. Non ſecus ac Novitatum ſectatòres, qui non deteſtabilibus terminis ſuas ſolent exponere corruptas opiniònes, ſed blandis, ac mulcientibus verbis illas tegere conſuèſcunt, ut faciliùs deindè poſſint eas in audièntium aures inſtillare. Quorum veſtigia diſtrictè obſervans Vincèntius Lyrinenſis, ut eorum circuitus ab omnibus pertimeàntur, in hunc modum contra ipſos oblatrat: *Tantomagis cavendi, & pertimeſcendi ſunt, quantò occultiùs ſub divinae legis umbraculis latitant: Sicùt enim faetores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi, & ſimplices exhibeantur, atque idcircò coeleſtis eloquii velut quoddam aromata aſpergunt, ut ille, qui facilè deſpiceret errorem, divinum non facilè contemnat oraculum: Quod iis curae eſt, qui mala gramina, & noxios ſuccos medicaminum vocabulis praecolorant, ut nemo ferè, ubi ſupra ſcriptum legerit remedium, ſuſpicaretur venenum.*

Lyrinenſ. contr. proph voc. novitat. cap 35

VI. Sed nè in praeſenti videamur currere quaſi in incertum, aërem verberantes, aùt hoſtem fingere, ut poſsìmus ferìre, aſſerendo, *Diſſertationem* ſupradictam, doctrinam contìnère abſtinèntiae regulis contrariam, ſeù Aves pro licito cibo in Antepaſchale jejunium introducere; non capientes ipſius Authoris mentem, Diſſertatiòniſque ſcopum, (ut illius Propugnatòres pluriès contra nos eructàre auſi fuerunt); ad tollendum omnem lapidem, qui poſſet offendicula praebère, ipſo in limine animàdvertere oportet, hanc proculdubiò eſſe *Diſſertationis Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis de Piſcium, atque Avium eſus conſuetudinem* metam, ut ſcilicèt per ipſam volatilium eſus ſenſim introducatur in Quadragèſimalem abſtinentiam; & ſi

videa-

videatur expendere titulus abolètam illam, atque pervetuſtam conſuètudinem, quae vigèbat tempore Socratis. Quòd primò in planum deſcèndit corollarium, tùm ex ipſo *Diſſertationis* titulo, *de Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali jejunio*, tùm ex dedicatoria Epiſtola ad Amicum ſuum Colendiſſimum (aliunde re vera) Virumque clariſſimum, in qua ita ad illum ſuum dirigit ſermonem: *Occaſione verò eorum, quae eruditè, atque facundè promebas, mihi in memoriam venit, apud Socratem in ſua Eccleſiaſtica Hiſtoria legiſſe illo aevo, quo ipſe in vivis degebat, complures Chriſtifideles in Antepaſchali jejunio, una cùm Piſcibus, quorum eſum tunc temporis Eccleſia tolerabat, Avibus quoque veſci credidiſſe, ac proindè conſcientia minimè remordente, Aves non ſecùs ac Piſces in Quadrageſima comediſſe .... Hinc pro tua in me authoritate juſſiſti, ut cùm primum tempus ab aliis ſuperaſſet occaſionibus adtentè inveſtigarem, quibuſnam authoritatibus, rationibuſque innixi Fideles, apud quos praelaudata conſuetudo vigebat, cùm Eccleſia Piſciculorum tantummodò comeſtionem tunc temporis, aùt toleraret, aùt permitteret in Antepaſchali jejunio, tuta conſcientia Avium quoque eſum ſibi indulgere potuiſſet,&c.* Ubi & ſi videtur abſolutè praeſupponere, tàm Piſces, quàm Aves priſcis temporibus in Antepaſchali jejunio fuiſſe proibita, & de rationibus inſtituere ſermonem, ob quas tunc Aves poterant ſinè conſcièntiae ſtimulo còmedi; videtur nihilòminus etiam implicitè, & aliqualitèr inferre, quòd ſicuti poſtea fuerunt Piſces in Quadragèſima introducti, ita poterunt in Antepaſchali jejunio tolerari & Aves: Alitèr enim ſuper-

ſuperflua, & ſupervacanea foret illa Piſcium, & Avium copulàtio; cùm poterat tantummodò dici, de *Avium eſus conſuetudine in Antepaſchali jejunio*, relicto verbo, *Piſcium*; quia Piſces jam ſunt in uſu apud Chriſti-fideles in Quadragèſima, & nunquam traduntur vètiti (praecipuè apud Latìnos,ut infra demònſtrabimus) & ſolùm de Avibus inſtituitur controvèrſia. Undè, vèl nulla exigente neceſſitàte ponitur in titulo verbum illud *Piſcium* (de quòrum eſus conſuetudine nec tenuem poſtea in Diſſertationis decurſu affert rationem,ob quam poterant tutâ conſcientiâ comedi in Antepaſchali jejunio, ſicut facit de Avibus), vèl ex mutabili Piſcium uſu, prìus vètito, aùt tolerato, poſtèaque permiſſo, vult parifornitèr inferre variabilem in Quadragèſima Avium comeſtionem, de praeſenti vètitam, in futurum permiſſibilem. Infr. num.31.

VII. Quod confirmatur ex eo, quia ubi ipſe expèndit differentiam, quam inter Piſces, & Aves conſtituunt Theologi, itaùt illi tamquam minoris ſubſtantiae permittantur in Quadragèſimali jejunio, iſtae utpotè majòris nutrimenti, penitùs interdicantur; ipſam in corpore *Diſſertationis*, pulchrum appellat adinventum pro inexpertis, & rudibus decipiendis, nullìuſque ponderis ratiocinium: *His verò*, inquit, *quae hactenùs, in literas retuli, objici nequit, in tantùm ab Eccleſia prìus toleratum,deindè permiſſum Piſcium eſum in Antepaſchali jejunio, ſicut & in caeteris jejunii ſtatutis diebus, in quantum Piſcium ſubſtantia aquea eſt, undè ad corpus nutriendum parum, aùt nihil eſt apta,ettereàque eorum comeſtio abſtinentiae virtuti adverſari non videtur; non ſic autem carnes Avium, quae calidae ſunt,* Auth.Diſſert. fol.30.

 & ſic-

& ſiccae, èodemque modo corpus nutriunt, quò illae quadrùpedum. At haec phalerae ſunt ad Populum, non verò ratio ponderis alicujus, vel momenti, &c. Indèque, longo conatur diſcurſu oſtendere ejuſdem eſſe qualitatis, & ponderis carnes Avium, ac Piſcium, parumque, aùt nihil utraſque ad corporis nutrimentum conducere. Igitur dat ex eo evidenter inferri, quòd ſicuti Piſces toleràntur ab Eccleſia in Antepaſchali jejunio, ita debent toleràri, & Aves, quae in qualitate exaequantur, & Piſcibus.

VIII. Rursùs, hoc idem inſinuare videtur, dùm alibi afferens verba Juliani Pomerii, in alium ſenſum, aſſerentis: *Illi magis parſimoniae ſervire cenſendi ſunt, qui ſibi non aliquarum rerum perceptiones, ſed delectationes corporis interdicunt*, ex proprio ipſe *Diſſertationis* Auctor addit: *Haec praefatus Pater admodùm praeclara, quae adferre cenſui, ut unuſquiſque Fidelium cognoſcat in quibus verè abſtinentia conſiſtit*; undè, niſi ipſe vellet introducere comeſtionem Avium in Antepaſchali jejunio, conſtituendo Abſtinentiam, non in ciborum qualitate, ſed in reſecatione ſuperflui, (quòd propriè eſt Novatòrum Dogma, ut paulò inferiùs), fruſtra gloſſaſſet verba Pomerii, oſtendendo, in quo propriè conſiſtat jejunium; cùm hoc ſuum excedat inſtitutum, nullàmque connexionem videtur habere ad Titulum *de Avium, atque Piſcium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali jejunio, quam memorat Socrates*, quòd ſuae Diſſertationi inciderat. Adèoque ne ipſe videatur ad inutilia digredi, cogimur & nos inferre, illius ſcopum aliud fuiſſe ab eo, quam tituli verba praeſeferunt, nempè, permiſſionem Avium in Antepaſchali jejunio.

Auth. Diſsert. fol. 16.

Infr. num. 14.

IX. Cu-

IX. Cujus Aſſertionis veritas magis elucidatur ab ipſo Authore in coronide ſui operis, ubi recolligens ſummam doctrinae in Diſſertatione contentam, quòd uſqueàdeo palliaverat ſub ſpecie narrandi pervètuſtam illam conſuetudinem comedendi Aves in Antepaſchali jejunio, veluti in teſtamento ultimae voluntatis, ita ibi manifeſtavit ſententiam ſuam, dicens: *Ex quibus non crederem immeritò colligi poſſe*: (Nota Benè): *In illis ſaltem locis, in quibus, Piſcium penuria eſt, potiùs Avium jejunii diebus comeſtionem permitti incongruum non eſſe, quam extorum quadrupedum, quibus in Hiſpania, aliiſque Catholicis regionibus praefatis diebus veſci indultum legimus*. Ubi animadverte, quòd per ly *colligi poſſe*, Author dat intelligi, hanc fuiſſe ſummam ſuae Diſſertationis; & per ly *crederem* de futuro; & ly *poſſe permitti*, ampliùs ipſum non loqui de praeterita illa Conſuetudine, quae vigebat tempore Socratis circa eſum Avium in Antepaſchali jejunio (uti praeſefert Titulus), ſed de renovatione illius abolèti moris in Quadragèſimali abſtinentia. Et licèt hoc reſtringat *in illis ſaltem locis, in quibus Piſcium penuria eſt*, &c.; attamen particula illa *ſaltem*, reliquas omninò non videtur excludere Catholicas regiones; cùm adinventa ſit à Rhetoricis ad reſtringendam juſtam petitionem, quae negari non poſſet, ubi reliqua petita in conceptu multarum rerum ob aliquod impedimèntum, finem non aſſequuntur. Sicuti *Aeneas* dum Palinùri à tempeſtatibus agitabatur in Navi, ubi mortem evàdere non poſſe putabat, ſaltem ut terrae corpus ſuum comendaretur efflagitans dicebat:

Author Diſſert. fol. 34.

Da dexteram miſero, & tecum me tolle per undas, Virg. Aenead. 6. verſ. 369.

 Se-

Sedibus, ut ſaltem, placidis in morte quieſcam.

Adeòque negari non poteſt, quòd aliud intendit Author *Diſſertationis* ab eo, quod demonſtrandum aſſumit in Titulo; ſenſim nempè introducere eſum Avium in Antepaſchale jejunium. Et ubi variis ratiociniis conàtur oſtendere hujùſmodi epulas ſinè coſcientiae ſcrupulo fuiſſe licitas in Quadragèſima illo aevo, quo in vivis degebat Socrates, (quando Chriſtianorum fervor in Eccleſiaſticis Ritibus obſervandis maximè laudabatur) cùm jejunium Eccleſiaſticum ſit ſemper idem, nullâque aliâ reſtrictivâ lege poſteà corroboratum; hiſce temporibus(ubi conſpicimus tepeſcere charitatem multorum, praecipuè in obſervantia jejunii) non eſt, cur ipſe non videatur hoc inſinuare per hanc ſuam *Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico-Moralem*. Sicque ſermo ejus ſerpit ut Cancer,& veluti ſepulchrum dealbatum ſub apparenti narrativâ pervetuſtae conſuetudinis comedendi Aves in Antepaſchali jejunio, foetidam continet opinionem de reſtaurando idem hiſce noſtris temporibus. Etſi illius Author Cenſurae Eccleſiaſticae in fine Diſſertationis ſubjàceat ſententiam; undè de falſitate Doctrinae non poteſt evìnci, vel damnàri. Quae omnia, etiam ſi per hypoteſim longè abeſſent à mente ſaepè laudati Authoris, ejuſque ſcopus tantummodò fuiſſet inveſtigatio rationum, ob quas ſinè conſcientiae ſcrupulo poterant Aves à quibuſdam Chriſti-fidelibus in Antepaſchali jejunio comedi, cùm iſtae in probatione ejus quod aſſumitur deficiant;pro hujus vetitatis inveſtigatione non abſre erit literariam aſſumere pugnam,juxtà dictum Auguſtini: *Non inutilitèr exercentur ingenia, ſi adhibeatur*

S. Auguſt. in Enchir. cap. 6.

tur diſceptatio moderatior, & abſit error opinantium ſe ſcire, quod forſitan neſciunt.

X. Quibus ſic ſtantibus ſicuti in praeſenti noſtra excuſabitur Cauſa ſcribendi in favorem jejunii Eccleſiaſtici, cùm juſtiſſima ratio noſtram parvitatem ad id faciendum impellat; ita Authori *Diſſertationis* nullum videtur remanere effugium, ſi de aliqua oſcitatione in ſuo devictus Opuſculo, novâ contra nos ſcribendo voluerit jurgiâ excitare; quia cùm Eccleſiaſticus dicat: *Non contradicas verbo veritàtis ullo modo, & de mendacio eruditionis tuae confundere*; ubi ipſe voluèrit alitèr procedere, magis, magiſque computreſcet in ſententia ſua; juxtà cujuſdam modernioris Interpretis notatum ad praeallegata verba dicentis: *Si quod mendacium per imprudentiam, incogitationem, praecipitationem, inſcitiam proloquutus es, ubi hoc adverteris, noli illud tueri, ſed confundere, revoca, emenda; pudor enim laudabilis eſt, quo quis errorem humilitèr agnoſcit, & confitetur; vituperabilis verò quo quis ſuperbè errorem tueri ſatagit, nec erraſſe videtur: Noli enim puderi de pudendo, magnae eſt impudentiae; & nolle poenitere, de poenitendo arrogantis eſt impoenitentiae.* Quòd ſi poſtea in hiſce noſtris Animadverſionibus veritas, quae una eſt, non apparuerit, & Author *Diſſertatiònis*, ad haec excandeſcens, ad ulteriorâ nos provocare voluerit; pronpto, ac alacri animo perferrèmus quicquid ipſe in nos animàdverſione dignum reprehenderit; memores ad ſufficientiam ſententiae Auguſtini, dicentis: *In omnibus literis meis non ſolùm pium Lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſidero: Veruntamen ſicuti Lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita correctorem nolo ſibi. Ille*

Eccleſ. 4. verſic 30.

Cornel. à Lapid. ibid.

S. Auguſtin. lib. 3. de Trinit.

me

me non amat ampliùs, quam Catholicam *Fidem*; *iſte ſe non amet ampliùs, quam* Catholicam *veritatem. Sicuti illi dico, noli meis literis quaſi canonicas inſervire, ita iſti dico, noli meas literas ex tua opinione, ſed ex Divina lectione, vel inconcuſſa ratione corrigere,&c*.. Cujus ea potiſſimùm me edocet ratio, quia in multis offendimus omnes, & de ſolo Tullo ſcripſit Lucanus: *Nullum verbum, quod revocare poſſet emiſit*. Quem tamen etiam de temeritate in hunc modum carpit mox laudatus Auguſtinus dicens: *Reprehenſibilem eſſe illam laudem, quam de Tullo dixit Lucanus*: *Nullum verbum*, inquit, *quod revocare poſſet emiſit*; *quae quidem laus, quamvis praeclariſſima videatur, tamen credibilior eſt de nimium fatuo, quam de ſapiente perfecto*.

Lucanus ....

S. Auguſt Epiſtol.7.

XI. Hinc, ut clariùs procedàmus in hoc noſtro Opuſculo, faciliùſque veritàtem aſſequi poſsìmus, & ſi duo Themata tantùm in illo concludere intendimus; unum nempè, quòd praefata *Diſſertatio Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis*, *de Piſcium*, *atque Avium eſus conſuerudine in Antepaſchali jejunio*, non merebàtur Typis demandàri, utpotè in ſenſu obvio Authoris, multa redolens abſurda; aliud ſcilicèt, quòd Praelo commiſſa, parùm, aùt nihil probat id, quod probandum aſſumit, ſivè in facto, ſivè in jure. In quatuor nihilominùs ob Lectoris commodum, & dicendi claritatem, Animadverſiònes illud partiemur. In quarum prima, incommoda expendèmus, quae ex vulgatione hujus Diſſertationis oriùntur in materia Morum. Examinabimus in ſecunda, quicquid de Piſcibus incongruènter in ipſa Diſſertatione aſſerìtur. In tertia ventilabimus inſubſiſtentiam Facti; non eſſe quippe

pe verum, illo aevo, quo in vivis degèbat Socrates, complures Chiſti-fideles comediſſe Aves in Antepaſchali jejunio. Quartà autem confutabit, veluti minimè concludentes, rationes illae, quibus Author praefatae Diſſertationis conàtur defendere ut laudabilem hujuſmodi comeſtionem, in caſu, quo reverà illi primitivae Eccleſiae Fideles Volatilia comediſſent in Quadragèſima; ad hoc ut verificetur, quòd praefata Diſſertatio, publicitati donata; defecit in Facto, & non ſubſiſtit in jure.

XII. Praemittens hic, benèvole Lector, quòd ſine àuthoritate loquèmur nihil, ſed omnia ex Doctorum placitis corroborabimus; itaùt dicere poſsimus, quòd olim in favorem ſuorum operum ſcribebat Petrus Bleſſenſis: *Nihil de ſpiritu meo protuli, ſed micas, quae ceciderunt de menſa Dominorum meorum collegi*. Sivè, ut ad Exuberatum Toletanum reſpondit Innocentius Papa I., dicens: *Conſulenti tibi, quid de propoſita ſpecie unaquaque ſentìrem; pro captu intelligentiae meae, quae ſunt viſa reſpondi; ſequendum, vel quòd docilis ratio perſuadèret, vel cuſtodia temporum demonſtràret, vel authoritas lectionis oſtènderet*, ad hoc, ut ſi quid erròris, vel mendi in ipſis Lucubrationibus noſtris irrepſerit, nos non imputemur Authores, ſed ut ab aliis implanati, benigna à Lectore cenſurâ corrìgamur. Depraecantes inſuper ipſum, ut longitudini Operis parcat, quia veritas in praeſenti enucleanda non ita breves nos exoptat, ſicuti compendioſum habuit Authorem *Diſſertationis*; memores Plinii docentis: *Praevaricatio eſt curſim, & brevitèr attingere, quae ſunt inculcanda, infigenda*,

Petr. Bleſs. in Praef. ſuorum operum.

Innoc. I. Epiſt. 3. cap. 1.

Plin. ad Tacit. epiſt. 20. lib. 11.

genda, repetenda &c.. Vèl ut alius ſcribebat Doctor: *Brevitas non facit ad propoſitum ; quando in cauſa reperiantur fundamenta ; & meliùs eſt per plurima excitare faſtidium , quam detraherc fidei , quae in paucis eſſe non poteſt .* Vale .

Moner. in præfat. ad deciſ. Aragonen. num 68.

ANI-

ANIMADVERSIONES CONTRA DISSERTATIONEM HISTORICO-PHISIOLOGICO-MORALEM

De Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine in Antepaſchali jejunio.

ANIMADVERSIO PRIMA.

In qua expenduntur abſurda, ob quae non debebat praefata Diſſertatio Typis demandari.

XIII. AD elucidandum primum noſtrum Aſſumptum, quòd *Diſſertatio-Phiſiologico-Moralis de Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine in Antepaſchali jejunio* (praecipuè in eo ſenſu, quem hic vidètur intendere Author) non merebatur Typis demandari, (poſt cujus aſſertionem non eſt ampliùs privata Doctrina, inter Domeſticos Parietes tantummodò detenta, & arbitrio Authoris ad libitum revòcanda; ſed publica Aſſertio oculis omnium expoſita, atque aeternitati conſecrata) inter caetera abſurda, quae illi obviam ſe faciunt, ſex praecipuè Animadverſiòne digna poſſunt notàri; primum nempè, quòd ipſa Diſſertatio continet doctrinam emollientem Novatorum ſententiam in materia de ciborum delèctu; ſecundum, quòd ſapit doctrinam ſcandalum parientem; tertium,

quia eſt opinio nova, & peregrina, penitùs ab Eccleſia remorenda; quartum, quia eſt deſtructiva Apoſtolicarum Traditionum in Materia Quadragèſimalis jejunii; quintum, quia evertit finem, ob quem fuit inter Catholicos introductum jejunium; ſextum tàndem, quia per illam demolìtur eſſentia jejùnii Antepaſchalis, quae conſiſtit principaliter in abſtinentia à Carnibus, & Avibus, ut dicetur.

XIV. Et in primis, ubi dicimus, *Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico-Moralem de Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine in Antepaſchali jejunio*, emollire ſententiam Haereticorum in Materia Abſtinentiae, non loquimur de opinione Fatianòrum, Manichaeòrum, & Priſcillianiſtarum, effutientium, Carnes Animalium eſſe immundas, & ideò à Fidelibus in Quadragèſima vitandas; contra quos inſurgens Fulgentius ait: *Qui à Carnibus abſtinent non tanquam immùnda, quae à Deo ſunt reſpuere, ſed à fortiori cibo, & potu pro ſola Caſtigatione corporis abſtinere.* Et ante Fulgentium illos ſuggillavit ejus Magiſter Auguſtinus dicens: *Catholici edomandi corporis cauſa à Carnibus abſtinent. Vos autem (Manichaei) ipſam Creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quod Diabolus operetur foeculentiori materia mali, & per hoc eas tanquam immundiora, & truculentiora Dei veſtri vincula exhortentes abjicitis.* Sed ſermo eſt de opinione illorum Etherodoxòrum, qui froèti verbis Pauli ad Coloſsenſes ſcribèntis: *Nemo vos judicet in Cibo, & potu*, non verèntur aſſerere, nullam eſſe Cibòrum ſpeciem, quae in dièbus jejunii illìcita, aùt prohìbita videàtur. Hujùſmodi fuère Nicolaìtae, & Valentiniàni, non

S.Fulgent. de fid. ad Petrum.

S.Auguſt. lib. 10. contr. Fauſt. cap. 5.

Ad Coloſſ. 2. verſ. 16.

non ſolùm immolàta comedentes, contra ſtatutum Apoſtolorum in Concilio Hieròſolymitano demandàntium: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra vobis imponere oneris, niſi haec neceſſaria, ut abſtineatis ab Immolatis Simulacrorum, à ſuffocato, & Sanguine*. Sed etiam apud Irenaeum delirantes: *Nullos omninò cibos, neque in perpetuum, neque ad tempus, neque omnibus, neque quibuſdam, neque abſolutè, neque certa de cauſa interdici poſſe*. Idem docebat Joviniànus apud Auguſtinum, & Hierònymum: *Jejunia*, inquit, *& à cibis quibùſdam abſtinentiam nihil prodèſſe*; addens in Chriſtianorum derìſum: *De ciborum ſibi placent abſtinèntia, quaſi non & ſuperſtìtio Gentilium, Coſſum Matris Deum obsèrvat, & Iſidis*. De Aèrio, ejùſque Aſsèchlis, inquit, Epiphanius: *Dièbus ipſis Paſchatis, quòd tempus humi cubando, caſtimoniam ſervando, affligendoque corpora, nec non & aridorum uſu praecibus, Vigiliis, jejuniis, & reliquis id genus ſaluberrimis corporis cruciatibus celebrare ſolèmus; illi è contrario jam tunc diluculò obſonari ſolent, & Carnibus, Vinoque Diſtenti cachinnari, ridere, eoſque, qui illam Paſchatis hebdomodam Sanctiſſimis illis Religionibus tradunt ludibrio habere*, &c. Eraſmus, ultrà librum, quem de interdictu eſu Carnium compòſuit, ſcribens ad Epiſcopum Baſileènſem, etiam fecit ſibi lìcitum aſsèrere: *Paulàtim irrèpſit conſuetudo, quae diem Veneris Piſciculèntum nobis reddidit: Deindè ubi hoc ſucceſſit adjuncta eſt, & Sabbati dies: Nunc etiam Mercurii periclitatur. Ob idque genus obſervatiunculas videmus homines affligi, & denique mori, ſibique Chriſtianos videri, cùm ſint Judaei*. Similitèr, & Kemnitius: *Pontificii*, inquit, *Magno conatu amoliri ſu-*

Actor. 15. verſic. 20.

S. Irenae lib. 3. cap. 27.

S. Auguſt. lib. de Haer. cap. 82. S. Hieron. lib. 2 adv. Jovinian.

S. Epiph. haereſ. 75. num. 3.

Eraſm. Epiſc. ad Epiſc. Baſilee.

Kemnit. in 4. p. Exam. Concil. Trident.

ſpicionem iſtam, quaſi cibos quoſdam prohibeant, ea opinione, ſicuti olim Fatiani, Manichaei, & Priſcillianiſtae, quaſi ſcilicèt, vel maledicti ſint, vel à Diabolo occupati, ac propterea Conſcientiam inquinant. Sed argumenta, quibus ſuam prohibitionem probare, ac ſtabilire conati ſunt, prorsùs oſtendunt in eòdem ipſo luto cùm antiquis iſtis Haereticis haerere. Et ut omittam Calvinum, Lutherum, Brentium, Philippum Melanchthonem, & Centuriatòres, qui fùſo calamo, & aequàli voluntàte hoc in ſuis tradunt ſcriptis, ſolùm lìqueto ſtendere, quid Confeſſio Auguſtana de hàc re videàtur ſtatuere, cùm in illâ convèniant, quaſi ferè omnes Novatòres; ipſa enim in Artìculis de Abuſibus mutatis, loquens de cibòrum diſcrimine, inter caetera haec habet: *Publica perſuaſio fuit, non tantùm Vulgi, ſed etiam docentium in Eccleſiis, diſcrimina Ciborum, & ſimiles Traditiones humanas cultus eſſe Dei, quae mereantur remiſſionem peccatorum; & ſciendum eſt tales obſervationes nec mereri remiſſionem peccatorum, nec juſtitiam, nec perfectionem Chriſtianam eſſe, ſed eas eſſe adiaphoras, quae extra ſcandali caſum omitti poſſunt. Teſtimonia hujus ſententiae plana, & Clara ſunt in Evangelio, & diſputationibus Pauli: Nàm Spiritus Sanctus duxit opere pretium eſſe, ut diligentèr de hac re monèret Eccleſiam, ne ſuperſtitioſis opinionibus obrueretur Evangelium. Rom.14. Regnum Dei non eſt eſca, neque potus, ſed juſtitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Hic ſatis clarè docet Paulus juſtitiam Chriſtianam eſſe motus Spirituales cordis, non eſſe externas obſervationes ciborum. Coloſſ.2.: Nemo judicet vos in cibo, & potu; vetat judicari conſcientias, hoc eſt condemnari Conſcientias in uſu talium rerum, ſed prorſus vult habe-*

Confeſſ. Auguſt. in art. de Abuſ. artic. 5. apud Jacob. Maſenium in dict. conf. Auguſt. fol. 107., & apud Vitum Pichier. in Exam. Polemic. ſupra Confeſſ. Auguſt. f. 219.

haberi pro rebus indifferentibus, & quae non pertinent ad juſtitiam Evangelii .... Itaque non vituperamus jejunia, ſed ſuperſtitioſas opiniones, & Traditiones, quae certos dies, & certos cibos praeſcribunt cùm periculo conſcientiae, tanquam iſtiuſmodi opera ſint neceſſarius cultus, &c. Quòrum omnium erròrem noviſſimè è noſtratibus lenìvit Joannes Launòjus in Opuſculo de *vèteri cibòrum delectu in jejuniis Chriſtianòrum*, edito de Anno 1649., cujus ſumma ejus potìſſima eſt, carnes qualeſcùmque non officere jejunio Quadragèſimali, fuiſſeque olim liberè fidelibus jejunantibus in Quadragèſimâ ìpſas pro ſuo arbìtrio uſurpatas. Contrà quem, poſt Raynaerium de Piſis in Pantheologìa (ubi ſermònem inſtìtuit de jejunio), fortitèr ſuum ſtrìnxit calamum Joannes Nicolàus in libro *de jejunii Chriſtiani, & Chriſtiànae abſtinèntiae vero, ac legìtimo ritu, jùxtà veterem Ecclèſiae Universàlis uſum*. Et hìſce noſtris tempòribus etiàm illius ſentèntiam, tàmquam novam, fàlſam, ac periculòſam ſuggìllat Fràter Hyacìntus de Gravesòn in ſuâ Eccleſiàſticâ Hiſtòriâ. Graveſ. tom. 8 fol. 558.

XV. Quòd autèm hujùſmodi Haereticòrum ſentèntiis nimis faveat haec impugnànda *Diſſertatio*, ob quòd, non merebàtur Typis demandari, ex eo evidentèr conclùditur, quia cùm ìpſa videàtur defendere tanquam lìcitam, & laudàbilem Priſcorum illòrum Fidelium conſuetùdinem, qui Aves comedebant tempore Quadragèſimae, vèl paulàtim illammet in Eccleſiam introdùcere; ubi aliundè omnes Sancti Patres, Concilia, communìſque Ecclèſiae consènſus unanìmitèr tenent, carnes eſſe vètitas in Antepaſchali jejunio (intèr quàs numerantur Aves, ut infrà), censètur proculdùbio, Infra num. 25.

bio,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bio, Authorem *Diſſertatiònis* exiſtimare, cibòrum prohibitiònem, ſivè carnis, ſivè alterius generis, non adeſſe in Eccleſia Dei, poſſeque ad ſuum lìbitum Fideles illos recipere, vèl reſpuere: Et eſt id, quòd adamùſſim dicèbant ſupranumeràti Haeretici. Quòd confirmàtur ex eo, quia ubi ipſe
Supra num.8. (ut vidimus ſuprà) affert ſententiam Pomèrii reprehendèntis abùſum in delectu cibòrum introdùctum, nèc non, & concludèntis: *Illi magis parſimoniae ſervire cenſendi ſunt, qui ſibi non aliquarum rerum perceptionem, ſed delectationes corporis interdicunt*: Tranſgrediens lìmites, quos Pomèrius circà excèſſum cibòrum praefixit, viam ſibi ſternit, gradumque facit ad oſtendèndum, jejunium non conſiſtere in abſtinèntià à Carnibus, ſed in reſecatiòne delectabilium, dùm relativè ad praefàta
Auth.Diſſert. fol.15. Pomèrii verba, addit: *Haec, praefatus Pater admodum praeclara, quae adferre cenſui, ut unuſquìſque Fidelium cognòſcat, in quibus verae abſtinèntiae Virtus conſiſtat, &c.* Quaſi quòd nos admictentes abſtinèntiam à Carnibus, & Avibus, aliiſque cibòrum delectibus, denegèmus, unà ſimùl cohibitionem à vitiis, quando ex Sacrà Scripturà edocemur: Deum rejeciſſe Hebraeòrum jejunia vi-
Iſaiae 58. verſic.58. tiis coinquinàta: *Me etiam, inquit, de die in diem quaerunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens, quae juſtitiam fecerit, & judicium Dei ſui non reliquerit. Rogant me judicia juſtitiae, appropinquare Deo volunt: Quare jejunavimus, & non aſpexiſti, humiliavimus animas noſtras, & neſciſti. Ecce in die jejunii veſtri invenìtur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis, ecce ad lites, & contentiones jejunantis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare ſicut*

uſque

uſque ad hunc diem. Quem lòcum perpendens Hieronymus, ſic contrà Joviniànum inſurgit: *Non igitur jejunium reprobàvit, ſed quale vellet, oſtendit, neque enim ventris eſuries accepta eſt Deo, quam lites, & rapìnae, & luxùriae deſtruunt*. Et S.Leo Papa: *Non enim*, inquit, *in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma jejunii, aut fructuosè corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate revocetur*. Igitur cum longè debeat eſſe à Fidèlium cordibus communicàtio in Dogmate cum Haerèticis, juxtà praeceptum Domini ad Filios Iſrael dicentis: *Recedite à Tabernaculis impiorum, & nolite tangere, quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum*. Et ſecundum quòd poſtPaulum ad Corinthios ſcribentem:*Nolìte jùgum ducere cum Infidelibus*;monebat Fideles ſuos Joannes Evangeliſta dicens: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis*, ex hoc capite ſaltem non merebàtur praeſuppoſita *Diſſertatio* publico donari.

S.Hieron. lib. 2. contr. Jovinian.

S.Leo ſerm.4. de Quadrag.

Nu.16.verſ.24

2. Corinth.6. verſ.16.

2. Canon. Joanni ver. 10.

XVI. Secundo, talis opinio, etiam ſi fuiſſet à Cathòlicis Doctòribus excèrpta, atque in veritate redicàta, omninò debebat tacitè praetermìcti, & Typis denegàri; utpotè, quae poſſet Cathòlicis (ſaltem Pusìllis, ac Rudiòribus) ſcandalum afferre: Quis enim ex Fidèlibus non urerètur (maximè àutem illi, qui congruèntias hìc ab Authore aſſignatas, vèl non caperent, vèl penitùs ingnoràrent) videndo in aliquòrum Menſas Aves appònere, uſque ad praeſentem diem in Quadragèſimâ vètitas, & pro interdictis deſcriptas; ſicuti modo, quis Orthodoxorum non inveherètur in illos naſcèntis Eccleſiae Chriſtianos, (ſi eſſet vèra narratio Socratis,) qui inter obſervantiſſimos Patres,

tres, & in primo fervòre noſtrae Religiònis; quòrum nonnùlli ſolo pane, vel olèribus, aùt paucis legùminum granis, Quadragèſimam tranſigèbant; imò ex obſervatiòne Auguſtini, quidam per Hebdomodam, alii per vigìntos dies, & nonnùlli per totam Quadragèſimam, ad imitatiònem Chrìſti Dòmini, nèque potum, nèque cibum aliquem ſumebant; ipſi verò Carnibus veſcebàntur, & per eſum Avium gulae indulgèntes Ventri deſervièbant! Quàndo etiam in dièbus permiſſis, plerìque à Carnibus ſe continèbant, ne ſcandalizarent Fratres ſuos, juxtà monitum Apoſtoli ad Romanos ſcribentis: *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei: Bonum eſt non manducare Carnem in quo Frater tuus offenditur, aùt infirmatur*. Aſſerens de ſe ipſo ad Corinthios: *Quapropter ſi eſca ſcandalizat Fratrem meum, non manducabo Carnes in aeternum, ne Fratrem meum ſcandalizem*. Ubi, ſinè dubio Paulus vidètur loqui de cibo ab Eccleſià abſolutè non vetìto (alitèr enim illum non manducaſſet, ne cùm aliis abſtinèntiae legem praedicàverit, ipſe reprobus efficerètur), & tamèn ob ſcandalum puſillòrum, qui in eum obſervabant, ab illiùs eſu Fideles docet ſe temperàndos. Quod eſt ità in veritate radicàtum, ut non ſolum de ipſis primis Fidelibus, recenſeat Baronius: *Adeò peculiare fuiſſe in illa primitiva Eccleſia, nec Carnes, nec Vinum bibere, ut quantumlibet Fideles eis legitimè, uti potuiſſent, tamen, ut rem inſolitam admirati plerique offendebantur. Cujus quidem ſcandali habendam eſſe aliquam rationem mandat Apoſtolus, &c.* Sed etiam de ipſo Apoſtolorum Principe Petro habemus, quòd cùm manducàſſet Legalia, ex quibus ſcan-

Auguſt. epiſt. 86. ad Caſulan.

Ad Rom. 14. verſ. 20.

1. ad Corinth. 8. verſ. 9.

Baron. ad ann. Chriſt. 57. numer. 192.

ſcandalizabantur nonnùlli, fuit à ſuo Coapoſtolo Paulo in Epiſtola ad Galatas in hoc acritèr reprehenſus. *Cùm autem*, inquit ipſe Gentium Doctor, *veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Priùs enim quam venirent quidam à Jacobo cùm Gentibùs edebat: Cùm autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex Circumciſione erant; & ſimulationi ejus conſenſierunt caeteri Judaei, itaùt & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu cùm Judaeus ſis Gentilitèr vivis, & non Judaicè, quomodo Gentes cogis Judaizare?* Quando Legàlia illis tempòribus non erant mortifera, ut poſt Dìvum Thomam hoc luculèntibus argumentis comprobàntem, ìllud ſancìvit Concilium Florentìnum in Decreto uniònis ad Jacobitas, inquiens: *Sacroſancta Eccleſia ſimilitèr credit, & profitetur, & docet quemcumque poſt Paſſionem Chriſti in Legalibus ſpem ponentem, & illis vèl ad ſalutem neceſſariis ſe ſubdentem, quaſi Chriſti Fides ſinè illis ſalvari non poſſet, peccaſſe mortalitèr. Nec tamen negat à Chriſti Paſſione, uſque ad promulgatum Evangelium illa potuiſſe ſervari, dùm tamen minimè ad ſalutem neceſſaria crederentur, &c.* Et tamèn hoc non obſtante, Petrus ob illorum comeſtionem à Paulo reprehenditur; non alia ratione, niſi quòd ex hoc ſcandalizabantur nonnùlli, sìcuti illud obſervat praelaudatus Magiſter Aquinas, ubi ait: *Non autem peccavit Petrus in hoc, quòd ad tempus Legalia obſervabat, quia hoc ſibi licebat, tanquam ex Judaeis converſo, ſed peccabat in hoc, quòd circa Legalium obſervantiam nimiam diligen-*

Ad Galat. 2. verſ. 11.

S. Thom. 1. 2. q. 104. art. 4.

Concil. Flor. relat. in Bulla 23. Eugen. IV. §. 12.

S. Thom. loc. cit. ad 2.

 tiam

tiam adhibebat, ne ſcandalizaret Judaeos, itaquòd ex hoc ſequaebatur Gentilium ſcandalum. Undè, in caſu noſtro, ut dicebàmus, vèl ſcandalizarentur Fideles ex nova Avium permiſſione in jejuniis Quadragèſimalibus, vèl indignàrentur de illis primis Chriſtiànis, qui ob ventrem ſe à caeteris removèbant Orthodoxis in comeſtione Volucrum, ſivè malè olerent de laude, quam hujùſmodi interdìctis obsòniis Author *Diſſertationis*, tribuit, vocando, *laudabilem conſuetudinem*, depravatam hanc diſciplinam; & prohindè ejus Opuſculum, non merebàtur ex hoc capite Typis demandàri.

XVII. Reticendo quòd hoc poſſet deſervìre ad relaxandam in alìquibus jejuniorum obſervàntiam, licitam ſibi faciendo ex antiquòrum exemplo, Avium comeſtionem tempore Quadragèſimae, ſicuti adnotàbat Paulus ad Corìnthios ſcribens: *Videte*, inquit, *ne haec licentia veſtra offendiculum fiat infirmis, ſi enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam in Idòlo recumbentem, nonnè conſcientia ejus, cùm ſit infirma aedificabitur ad manducandum Idolothyta? & peribit infirmus in tua ſcientia, Frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? Quapropter, ſi eſca ſcandalizat Fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne ſcandalizem Fratrem meum*. Quando etiam ab operibus bonis, quae ſub conſilio cadunt, poſſumus aliquàndo abſtinère, ad hoc, ut proximi ſcandalum evitètur; docente Divo Thoma: *Attendènda eſt quantitas ſcandali, & boni, quòd contingit ex conſilio ſervato; & ſecùndum hoc aliquàndo conſilia ſunt praetermittenda propter ſcandalum puſillòrum, &c.* Sicuti in Vita Gregorii Magni pulchrum regiſtratur exemplum, quòd ubi vene-

1. ad Chorinth. 8. verſ. 8.

D. Thom. in 4. diſt. 38. q. 2. art. 4. qu. 2.

veneratur quintam Synodum: *Quintum quoque Concilium paritèr veneror, &c.*, audiens à Conſtantìno Mediolanenſi Epiſcopo, Theodolìndam Longobardòrum Regìnam animum de illa Synodo inſenſum habuìſſe, noluit, nec etiam ad minimum Verbum de tali Concilio eìdem Theodolìndae menſiònem facere, ne ſcandalum in ipſa generaretur: *Quòd autem ſcripſiſtis*, inquit ad Conſtantinum, *quia Epiſtolam meam Reginae Theodolìndae tranſmittere minimè voluiſti, pro eo quòd in ea quinta Synodus nominabatur: Si eam exindè ſcadalizari poſſe credidiſtis, rectè factum eſt, ut minimè tranſmitteretis. Vndè nunc ita facimus, ſicut vobis placuit, ut quatuor Synodos tantummodò laudaremus, &c.* S.Greg. Epiſt. 24. lib.1. Idem Epiſt.37 lib.3.

XVIII. Tertio non merebàtur Typis demandàri haec Diſſertatio, quia Novitàtem praeſeferre inſpicitur, & tanquam peregrina Eccleſiae ſe offert; cùm nullus fermè ſanae mentis Theologorum, tùm ex Antiquis, tùnc ex Moderniòribus reperiàtur, (uno tantùm excepto Launòjo, ut ſupra; qui, qualis, &, quantae ſit in Eccleſia authoritàtis, & Fidei, novit Urbs, novit & Orbis) qui eſum Avium in Antepaſchali jejunio lìcitum eſſe aſſevèret; talitèr quòd poſſumus nobis in praeſenti uſurpàre id, quòd in ſimìlibus affirmàbat Nazianzenus: *Nobis ſatis eſt, quòd nemo ex his, qui Divino Numine afflati ſunt ex Patribus illis, & Magiſtris noſtris, hanc ſententiam hactenus pronunciavit, vel pronunciatam approbavit.* Adeòque ex hoc capite *Diſſertatio Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis* debuit ſilentio invòlvi, quia Novitàtum appetitus in Eccleſiàſticis Diſceptatiònibus eſt omninò cohibendus, & à Cordibus Fidelium penitùs eliminandus. Supra nu. 14. Nazianz.2. Theolog.

 Sicu-

Ad Hebraeos 13. verſ.9. Sicuti Apoſtolus Hebraeos monèbat dicens: *Doctrinis novis, & peregrinis, nolite abduci*. Et termini, quos poſuèrunt Patres noſtri (quibus forſitàn non ſumus digni corrigiam calceamènti ſolvere) amovèri à Filiis nullatenùs debent, ſed ſtabiles omninò, & firmi ſervàndi; ut olim ad Honoràtum Dalmàtiae Epiſcopum ſcribèbat Gelaſius, inquiens: Gelaſ. Epiſt.5. ad Honorat. *Ubi eſt, quòd ſcriptum eſt, Terminos Patrum tuorum ne tranſgrediaris; & interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi, Seniores tuos, & dicent tibi? Quid ergo tendimus ultra definita majorum, aùt cur nobis non ſufficit, ſi quid ingnorantes diſcere cupiamus, qualitèr ab Orthodoxis Patribus ſingula, quaeque vèl tradita, vèl praecepta ſunt, vèl aptata Catholicae veritati, cur non his probantur eſſe decreta? Nunquid aùt Sapientiores illis ſumus, aùt poterimus firma ſtabilitate conſtare ſi ea, quae ab illis conſtituta ſunt ſubruamus?* Alitèr enim ſi abjicere lubèbit uſque modò ſervatam in Eccleſia conſuetudinem de non comedendis Avibus in jejuniis Quadragèſimae, doctrinamque Patrum (id firmitèr negantium, ut infrà) Infr. num. 23. contemnere, & pedetentim contrarium Fideles docere, poſſet ſinè dubio attonitis auribus contra nos Hierònymus repetere id, quòd olim in effervescentia Spiritus, ſcribens ad Pammachium, dicebat: S.Hieron.Epiſtol. ad Pammach. *Quiſquis aſſertor es novorum Dogmatum, quaeſo ut parcas Romanis auribus, parcas Fidei, quae Apoſtolorum ore laudata eſt. Cur poſt quatercentos annos docere nos nitèris, quòd ante neſcivimus? Uſque in hanc diem ſinè veſtra iſta Doctrina Chriſtianus Mundus fuit: Illam ſenex tenebo Fidem, in qua puer natus ſum*. Et erat id, quòd etiam de ſimìlibus Novitàtum Amatoribus ſolèbat Dominum depraecà-

praecàri Hilarius in oratiònibus ſuis, dicens: *Tardè mihi hos piiſſimos Doctores aetas nùnc hujus ſaeculi protulit; ſerò hos habuit Fides mea, quam tu erudiſti, inauditis ergo his omnibus in te credidi.* Quando poſt Bernardum affirmantem: *Chriſti ſum Diſcipulus, Chriſti Diſcipulis loquor. Ego ſi peregrinum Dogma induxero, ipſe peccavi*, jam eruditiſſimus Vincentius Lyrinenſis ad illud Pauli: *Prophanas vocum novitates devìta*, per pulchrè adnotàverat, quòd ſi nova admittàtur Doctrina tota necèſſe eſt, ut corruat Eccleſia: *Vocum*, inquit, *ideſt Dogmatum, rerum, ſententiarum novitates, quae ſunt vetuſtati, quae ſunt antiquitati contrariae. Quae ſi recipiantur, neceſſe eſt, ut Fides Beatorum Patruum, aùt tota, aùt certè magna ex parte violetur. Neceſſe eſt, ut omnes Clerici, Levitae, Sacerdotes, tanta millia Confeſſorum, tanti Martyrum exercitus, tanta Populorum celebritas, & multitudo, tot Inſulae, Provinciae, Reges, Gentes, Nationes, Regna, totus proſtremò terrarum Orbis, per Catholicam Fidem Chriſto Domino incorporatus, tanto ſaeculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, neſciſſe quid crederet, pronuncietur. Prophanas*, inquit, *vocum novitates devìta, quas recipere, atque ſectari, nunquam Catholicorum, ſed Haereticorum fuit. Et revera, quis nunquam Haereſes inſtituit, niſi qui priùs ab Eccleſiae Catholicae antiquitatis conſenſione diſcreverit? Hoc autem omnibus ferè Haereticis ſolemnè eſt, ac legitimum, ut ſemper propriis novitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſententiae à Fide naufragent*. Haec ille: Et ad propoſitum nimis accommodè.

S.Hilar. lib.6 de Trinit.

S.Bern. ſerm. 30. in Cantic.

1. ad Thim.6. verſ.20.

Lyrin. in lib. contr. Proph. VocumNovit.

XIX. Quarto, hoc idem evincitur ex eo, quòd

talis

talis Aſſertio in materia jejunii videtur deſtruere Apoſtolicam Traditiònem, sicuti ipſe Author ſuſpicabatur in praefatiòne ſuae Diſſertationis, ſcribens ad Amicum ſuum: *Sanè verò* (ſupple conſuetudinem manducandi Aves in Antepaſchali jejunio) *ſpecie-tènus rigidiſſimae jejunii legi, praeſertim Antepaſchali ab Apoſtolis traditae repugnantem videre videbatur*: Si quidem contra Haereticos blateràntes jejunium Quadragèſimale paulatìm in Eccleſiam irrepſiſſe, non autem ab Apoſtolis inſtitutum, & potiſſimum contra Calvinum debaccantem: *Non in totum excuſare audeo veteres quia, & ſuperſtitionis quaedam ſemina jacuèrunt, & occaſionem praebuerunt tyrannidi, quae poſtea exorta eſt, & tunc paſſim invaluit ſuperſtitioſa Quadragèſimae obſervatio, quia & Vulgus eximium aliquòd obſequium ſe praeſtare Deo in eo exiſtimat, & Paſtores eam commendant pro Sancta Chriſti imitatione. Fuit igitur mera cacochilia, & ſuperſtitionis plena, quòd titulo, & colore imitationis Chriſti jejunium ordinabant*. Contra iſtos, inquam, communitèr tenent S. S. Patres, illud ex Apoſtolica Traditione ſuam cognòſcere originem. Pro hoc enim poſſet primo loco afferri Conſtitutio Apoſtolica, demandans: *Poſt dies Epiphaniarum ſervandum vobis eſt jejunium Quadragèſimae, quòd vitae Chriſti, & Legis latae recordationem continent. Celebratur verò jejunium hoc, ante jejunium Paſchae, incipiens quidem à ſecunda Feria, deſinens verò in ſextam. Deindè, dimiſſo jejunio, incipite Sanctum jejunium Paſchae; jejunentque omnes cùm timore, & tremore facientes per eos dies praecationes pro pereuntibus, &c.*; cujus authoritati multùm fidebat Epiphanius, dùm ſcribens contra Audianos,

Calvin. lib 4. Inſtit. cap 12. §.10.

Ex S. Clement. Roman. lib. 5. Conſt. Apoſt. cap. 12.

dixit:

dixit: *Audiani ad inſtitutum ſuum quandam ex Apoſtolorum Conſtitutione authoritatem accommodant, qui liber, tamen ſi dubiae apud multos fidei ſit, non eſt tamen improbandus; nàm in eo, quae ad diſciplinam Eccleſiae attinent, omnia comprehenduntur, neque quidquam, aùt in fide, ac Catholica profeſſione depravatum, aùt Eccleſiae adminiſtrationi, ac decretis contrarium continet.* Nihilominùs quia has Conſtitutiones damnant Canones Trullani; & Bellarminus (cùm aliis Criticis) apocryphas vocat, illorum authoritati cedimus: Sicuti & renuntiamus ſententiae Ignatii Martyris ad Philippenſes ſcribentis: *Feſtivitates ne dehoneſtetis, Quadragèſimale jejunium ne ſpernatis. Continet enim exemplum converſationis Dominicae* (quod poterat ediſcere ab ipſis Apoſtolis, quorum fuit Diſcipulus), quia inter dubias Ignatii Epiſtolas collocant eam quamplurimi, ob altum de illa ſilentium apud Euſebium, & Hierònymum (& ſi, ut genuìna vìndicetur à Baronio, Bellarmino, & Poſſevino). Sed hic tantummodò lubet audire Hierònymum dicentem: *Nos unam Quadragèſimam ſecundum Traditionem Apoſtolorum, tempore congruo jejunamus. Non quòd & per totum annum, excepta Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quòd aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.* Necnon & Auguſtinum ediſſerentem (ſi ſunt Auguſtini ſermones de tempore, qui circumferuntur intèr opera illius in editione Lovanientium): *Aliis diebus jejunare remedium eſt, aùt praemium. In Quadragèſima non jejunare peccatum eſt.* Quibus adhaeret Leo Magnus dùm praecìpit: *Ut Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum adimpleatur.* Quòd noviſſimè habuit decernere Concilium Colonienſe

S.Epiph. haer. 70.

S. Ignat Epiſt ad Philipp.

S.Hiero.Epiſt. ad Marcell.

S.Augu. ſerm. 62. de Temp.

S. Leo Magn. ſer.6 de Quad.

de

Concil Colon. par 9. cap. 6. de anno 1536. celebratum, dicens: *Quadragèſimae inſtitutio antiquiſſima eſt, & à temporibus Apoſtolorum uſque ad nos deducta*. Atqui jejunium non poteſt ſtare cùm eſu Carnium (cujuſmodi eſt Avium comeſtio, ut modò videbimus), quia deſtruitur illius eſſentia in praedictorum Carnium abſtinentia praecipuè conſiſtens, ut infrà ſtricto calamo ventilabimus; igitur praefata *Diſſertatio*, ubi in patronum ſe exhibet priſcorum Fidelium conſuetudini comedendi Aves tempore Quadragèſimae, & abolètum hunc uſum, iterùm apud Orthodoxos introducere aſpirat; eſt idem ac evertere Apoſtolicas Traditiones in materia jejunii; ob incompatibilem ſocietatem, quam dicit carnium delectus ad doctrinam Apoſtolicam in caſu abſtinentiae. Non obſtante, quòd Apoſtolus ſcribens ad Theſſalonicenſes, dicebat: *Fratres ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſivè per ſermonem, ſivè per Epiſtolam*. Et ſecunda Nicoena Synodus decreviſſet: *Si quis Traditionem, ſivè ſcripto, ſivè conſuetudine valentem non curaverit, anathema ſit*. Adeòque de hac *Diſſertatione* circa Avium eſus conſuetudinem in Antepaſchali jejunio, contra Apoſtolicas Traditiones militantem (& ex ſolâ unius Socratis authoritate) ſi eſſet in vivis, poſſet juremeritò repetere id, quòd olim ſcribebat Papias (ſi adhuc exiſtunt Fragmenta illius operum, de quibus meminerunt Euſebius, & Hierònymus; alitèr enim inter Apocryphos collocàbunt Moderniores Critici ejus libros de Explanatione ſermonum Domini): *Non his, qui multa dicunt, ſed qui vera docent oblector; neque ex illis, qui aliena, & nova mandata commemorant, ſed ex illis, qui recordatione*

Infr. num. 25.

Infra num. 22.

2 ad Theſſal 2. verſ. 15.

Concil. Nic. 2. Action. 7.

Papias lib. 4. ſui Oper.

datione renovant ea, quae ſunt à Domino per Fidem tradita, & ab ipſa veritate profecta voluptatem capio.

XX. Quintò, ipſamèt *Diſſertatio Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis*, ultrà Apoſtolicas Traditiònes deſtruit etiam Fìnem, ob quem,in Eccleſia fuit principalitèr inſtitutum ipſum jejunium, admittendo licitas Aves in Quadragèſima. Sicque magis, magiſque acquirit robur noſtrum aſſumptum, quòd non merebatur Typis demandari: Nàm jejunium inter caetera munia, ad hoc potiſſimùm vidètur introductum, ut per illud Carnis concupiſcèntia refraenetur, juxtà mètrum, quòd ex Ambroſio quotidiè in Horâ Primae canit Eccleſia:

Carnis terat Supèrbiam. S. Ambroſ.

Potus, cibìque parcitas:

Expreſſum etiam à Hierònymo per ìllud ſuum vulgare, (ſed celebre) adagium: *Sine Cerere, & Bacco friget Venus.* Et inſinuatur ab Auguſtino, dùm contra Fauſtum Manichaeum ſcribit: *Chriſtiani, non Haeretici, ſed Catholici, edomandi corporis cauſa non ſolùm à Carnibus, verùm etiam à quibuſdam terrae fructibus abſtineant, vèl ſemper, ſicuti pauci, vèl certis diebus, atque temporibus, ſicuti per quadragèſimam ferè omnes.* Quibus adſtipulatur Angelicus Praeceptor, dicens: *Aſſumitur enim jejunium principalitèr ad tria; primo quidem ad concupiſcentias Carnis comprimendas: Vndè Apoſtolus dicit; in jejuniis, in Caſtitate; quia per jejunium Caſtitas conſervatur. Vt enim Hieròniymus dicit, ſine Cerere, & Bacco friget Venus; id eſt, per abſtinentiam Cibi, & Potus tepeſcit Luxuria.* Quapròpter Bellarminus, aſſignans rationem, ob quam interdicuntur Fidelibus

S.Hieron.lib.1. contr. jovin.

S.Aug. lib.10. contr. Fauſt. cap.5.

S. Thom. 2. 2. q.197. art.1.

libus carnes tempore jejunii, juremeritò potuit dicere: *Cur Catholici exiſtimant Carnes Pecorum, & Avium caeteris diebus eſſe illiciras, non alia eſt ratio, niſi quia placuit Eccleſiae illas prohibere. Cur autem Eccleſiae id placuerit, varias cauſas Theologi addunt, ſed illa eſt potiſſima, quoniam jejunium indicitur ad cohibendam Carnis concupiſcentiam, quae circa delectationes gulae, luxuriaeque verſatur. Carnes autem terreſtrium, & volatilium Animalium magis nutriunt, & delectant ex genere ſuo, quam caeteri cibi, cùm ſint humanae Carni ſimiliores. Indè enim & libentiùs appetuntur, & materiam generationis magis augent, undè ſtimuli Carnis acriores oriri ſolent.*

Bellarm. tom.3 Contr. lib.2.de bon.oper.cap.4

XXI. Hoc ſtante, quis non videt quantùm ſe alienavit è tramite rectae ratiònis Author ſupra citati *Opuſculi*, ſivè defendendo exceſſum illorum primitivae Eccleſiae Fidelium, qui juxtà Socratem comedebant Aves in Antepaſchali jejunio, ſivè conſimilem intentando illarum eſum hìſce temporibus in Eccleſiam? Quis enim ùnquam ignoravit, quantae ſint ſubſtàntiae Carnes Avium, quantamque ventri, & libidini praebeant incrementum Coturnices, Phaſiani, Turtures, Perdices, Turdi, Pipiones, Columbae, & centies hujùſmodi, quìbus ut plurimum Magnatorum menſae, ac Divitum convìvia videntur conſperſa? Quando etiam de Vulturibus, Accipitribùſque dicit Joannes Gerardus Voſſius (noſtro Authori nimìs familiaris, ut infrà), quòd eorum Carnes, etiam ſiccae, graſſitie antecedant Ovìllis: *Adde*, inquit, *quod Avium quarundam, ut Vulturis, & Accipitris, Craſſa, ſicca, duraque adeò eſt Caro, ut hac parte ſuperet Ovìlla*. Quòd ſi experientiae quis credere noluè-

Infr. num.92.

Voſſ.de orig. & progr. Idolat.lib.3.cap.78

noluèrit,& fidem praebeat Hierònymo dicenti: *Procùl ſint à Conviviis tuis Phaſides Aves, quibus ampliſſima patrimonia avolant; nec ideò te carne veſci non putes, ſi Suum agreſtium, Leporum, atque Cervorum, & quadrupedum animantium exculenta reprobes; non haec pedum numero, ſed ſuavitate, & guſtu comprobantur*: Et Aures attollat ad Proſperum Aquitanum increpantem (ſivè Julìanum Pomerium, cui poſt doctiſſimum Sirmondum, & accuratiſſimum Labbèum juremeritò tri buit libros de Vita Contemplativa Author *Diſſertationis*): *Si Quadrupedibus abſtinentes Phaſianis, Alitibus, vèl aliis Avibus pretioſis perfruantur, non mihi videntur reſecare delectationes ſui Corporis, ſed mutare: Nec pro abſtinentia, ſed velut neſcio qua immunditia, vèl certè (quòd veriùs eſt) pro ſtomachi nauſeantis teneritudine delicatas illas communes, ac viles Carnes abjicere, quò poſſunt non ſolùm Carnibus, ſed etiam delicatioribus, & pretioſioribus carnibus voluptates explere*. Nec dedignetur audire Bernardum affirmantem, tantam in Columbis adeſſe libidinem, ut Deus illas à Sacrificio rejecerit, ſibique tantùmmodò pullis Columbarum innocentiòribus reſervatis: *Licèt*, inquit, *alias per Columbam Spiritus Sanctus ſoleat deſignari, tamen quia libidinoſa Avis eſt, non debuit offerri ea in Sacrificium Domini, niſi ea ſanè aetate, qua neſciret libidinem*. De quibus etiam ſcripſerat Simeon Sethi, relatus à Voſſio: *Caro eorum calida eſt, & humida, & humore abbundans excrementitio, maximè Columbarum domeſticarum. Gignit verò ſanguinem juſto craſſiorem, & Calidiorem, atque interdùm generat febres, ſed renes ob frigus dolentes, juvat, ac ſemen genitale, & ſanguinem auget*. Igitur, ſi je-

S. Hieron. Ep. 9. ad Salv.

S. Proſp. lib. 2. de Vit. Contemplativa capit. 23.

S. Bernard. ſerm. 59. in Cant.

Sethi apud Voſſ. lib. 3. c. 91

ſi jejunium fuit ab Eccleſiâ inſtitutum ob libidinis cohibitionem, & Carnium abſtinentia magis ad talem ducit finem, quam reliquòrum reſecatio eduliòrum; caeteris paribus, potiùs intèr Carnes videntur prohibèri Volucres, quam animantia quadrupèdia, utpotè delicatiòres, & ſuaviòres, sìcuti mox advertebat Proſper Aquitànus cùm Hierònymo, & poſt ipſos adnotàvit Eminentiſſimus Turrecremata in Regulâ Sancti Benedicti, ubi Pater Veneràbilis Carnes Quadrupedum vidètur Monachis ſuis interdìcere: *Licèt*, inquit, *Sanctus Pater, tantùm nominat Carnes Quadrupedum, prohibitio tamen extenditur uſque ad Carnes etiam Animalium, bipedum ſcilicèt, & Volatilium. Cùm enim Carnes Volatilium ſint dulciores, magis delicatae, & pretioſiores, quando minùs delicatas vetuit, proculdubiò magis delicatas, & pretioſiores prohibere credendus eſt. Mos enim Sanctorum Doctorum eſt in majori comprehendere minorem.* Sicque comedentibus Aves tempore Quadragèſimae valeret dicere cùm Apoſtolo Paulo: *Hujùſmodi enim Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ventri*: Relictâ in latebris privàti juris *Diſſertatione* praelaudatâ, quae toto axe conſuetudinem illam comedendi Aves in Antepaſchali jejunio variis ratiocìniis conàtur propugnare.

Turrecr. tract. 104. in Reg. S. Benedicti.

2. Ad Thimth. 3. verſ.6.

XXII. Sexto tandèm, talis *Diſſertatio*, ſivè veterâ laudando, ſivè novâ meditando, circà eſum Avium in Antepaſchali jejunio, videtur ſinè dubio eſſentiam deſtrùere jejunii, principalitèr in abſtinentiâ à Carnibus conſiſtèntem, uti decrevèrunt Concìlia, docent Sancti Patres, confirmatque interrupta Eccleſiae Conſuetudo; Duce Daniele

niele Prophetâ in Veteri Teſtamento, qui formam jejunii nobis tradens, ſic de ſe ipſo ajebat: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomodarum diebus panem deſiderabilem non comedi, & Caro, & Vinum non introjerunt in os meum*. Cùm in Concilio Laodicènſi habeàtur: *Non oportet in Quadragèſimae Feria quinta ultimae hebdomodae jejunium diſſolvi, & totam Quadragèſimam inhonorari; ſed per totos hos dies jejunare, & eſus abſtinentiae convenientibus, id eſt, aridioribus uti*. Aridiòra, enim, denotabant Panem, & Aquam cùm Sale, juxtà illud Epiphanii: *Per ſex dies ipſius Paſchatis omnes Populi in ſiccorum eſu perſeverent, pane inquam, & aqua, & ſale tunc utentes ad Veſperam*. In Concilio Toletano VIII. fuit paritèrque decretum: *Quiſquis ſinè inevitabili neceſſitate, aùt fragilitate, & evidenti labore, ſeù etiam impoſſibilitate aetatis, diebus Quadragèſimae eſum Carnium praeſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit Reſurrectionis Dominicae, verùm etiam alienus ab ejuſdem diei Sancta communione, & hoc illi cumulatur ad poenam, ut ipſius anni tempore ab omni eſu Carnium abſtineat gulam, quia Sacris diebus abſtinentiae oblitus eſt diſciplinam*. In Concilio Generali Conſtantinopolitano III.: Sivè potiùs in Canonibus Trullanis, (qui licèt inconcuſſam ſibi non vindicent fidem, ob varios, quos hinc indè habent Patronos, ut videre eſt apud Melchiorem Cano; magnam nihilòminus obtinent authoritatem, praecipuè in materiâ de quâ agitur, ab aliis Conciliis, & Patribus comprobatâ) ſimilitèr habetur: *Accepimus in Armenòrum regiòne, & in aliis locis in Sabbatis, & Dominicis Sanctae Quadragèſimae, quoſdam Ova, & Caſeum comedere: Viſum eſt*

ergo,

Daniel cap. 10. verſ. 2.

Concil. Laodicenſ. Can. 50. de anno 364.

S. Epiph. lib. 3. contr. Haereſ.

Concil. Toler. 8. Can. 9. de anno 653.

Melch. Can. lib. 5. locor. capit. 5.

Concil. Conſtant. 3. Can. 56. de anno 692.

ergo, ut omnis Dei Eccleſia, quae eſt in Univerſo terrarum Orbe, unum ordinem ſequens, jejunio perficiat, & abſtineat ſicuti ab omni mactabili, ſic & Ovis, & Caſeo, quae quidem ſunt fructus, & fetus eorum à quibus abſtinemus. Si autem haec non ſervaverint, ſi ſint Clerici deponantur, ſi Laici ſegregentur. Quibus adde Concilium Claromontanum, ſimilitèr
Concil. Clarom. de anno 1095. Can 9. decernens: *Ut nemo Clericorum à capite jejunii, nemo Laicorum à Capite Quadragèſimae, uſque ad Paſcham carnes comedat.*

XXIII. Id etiam S.S.Patres aſſerunt; nàm, relicto, quòd de S.Matthaeo Apoſtolo in Oratione pro Virginis Ephigèniae caſtitate, de Quadragèſimae obſervantia dixiſſe legatur apud Abdiam:
Abdias lib. 7. *Diebus verò ſivè Quadragèſimae, ſivè legitimorum jejuniorum temporibus, tàm ab edacitate Carnium, quam à comeſtione corporum, qui non abſtinuerit; non pollutionem ſolùm, ſed etiam crimen incurrit*, cùm opera Abdiae Babylonici omninò inter apocrypha collocent Joannes Heſſelius, Joannes Molanus, Salmeron, Labbè, & alii; habemus Papam Theleſ-
Theleſph Ep. 1. ad omnes Epiſcop. phorum dicentem: *Statuimus, ut ſeptem hebdomodas plenas ante Sabbatum Paſchae à Carne Clerici omnes abſtineant.* Et Cyrillum Hieroſolymitanum,
Cyrill. Jeroſ. Cathech. 4. qui etiam ait: *Jejunemus à Carnibus abſtinentes; non quòd has odio habemus, ſed quòd mercedem expectamus.* Aſſerens paritèr Theophilatus:
Theoph. ſerm. 5. de Paſch. *Nequaquam diebus Quadragèſimae ſicùt luxurioſi divites ſolent, Carnium edulio delectemur. Qui legum praecepta cuſtodiunt Carnium eſum repudiant; non decet jejunantibus tempore agonis veſci Carnibus. Daniel, & tres illi Pueri docent, jejuniorum tempore à Carnibus abſtinendum.* Quòd poſt innumeros alios Patres firmat

Ange-

Angelicus, dicendo: *Jejunium ab Eccleſia eſt inſtitutum ad reprimendas concupiſcentias Carnis, quae quidem ſunt delectabilium ſecundùm tactum, quae conſiſtunt in cibis, & venereis, & ideò illos Eccleſia interdixit jejunantibus, qui & in comedendo maximam habent delectationem, & iterum maximè hominem ad Venerea provocant. Hujùſmodi autem ſunt Carnes animalium in terra naſcentium, & reſpirantium, & quae ex eis procedunt; ſicuti lacticinia ex graſſibilibus, & Ova ex Avibus. Qui enim hujuſmodi magis conformantur humano Corpori plùs delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum; & ſic ex comeſtione plùs ſuperfluit, ut vertatur in materiam ſeminis, cujus multiplicatio eſt maximum incitamentum luxuriae, & ideò ab his cibis, praecipuè jejunantibus Eccleſia ſtatuit eſſe abſtinendum.* S. Thom. 2. 2. q 147. art.8.

XXIV. Quòd paritèr confirmatur ex Conſuetudine Eccleſiae; nàm de Apoſtolo Petro narrat Gregorius Nazianzenus, quòd ſemper penè jejunans, nihil aliud ſumebat in cibum, niſi lupinos aſſe minutos veneuntes. Sanctum Matthaeum oleribus, baccis, & ſeminibus, non autèm Carnibus dies ſuos protraxiſſe memorat Clemens Alexandrinus. Et ut reliquis parcam, celebrè eſt factum à Nicephoro conſcriptum circà Carnium temperantiam in diebus Quadragèſimae, quòd nempè tanta fuit in primitivâ Eccleſiâ hujùſmodi abſtinentia, ut ubi Juſtinianus Imperator, ob ingentem aliorum Ciborum inopiam demandaſſet Carnium venundatiònem in Macellis Conſtantinopolitanis, nullus in tànto Popolo inventus eſt, qui famâ prèſſus voluiſſet venalem Carnem illam comedere: *Cùm fames* (ſunt verba Nicephori) *Bizantii*

Naziànz.Orat. de paup.honor

Clem. Alex. lib. 2. Pedag. cap 1.

Niceph.lib.9. hipoc. cap. 32.

zantii increbuiſſet rerum neceſſariarum inopia, Imperator Juſtinianus ſecunda ſtatim Jejunii hebdomoda, Car*nes in foro venales proponendas promulgavit . Et hoc quidem, ſic per viam actum. Populus autem , qui pietatem ſibi ſectandam ſtatuiſſet , neque eas emebat , neque edebat , mortem ſibi potiùs adeundam eſſe cenſens , quam ut quidquam de patriis moribus , & Traditionibus mutaret .* Cui conſonat id; quòd de S.Spiridiòne narrat Sozomenus, nàm ubi in Quadragèſimâ ad ipſum declinaſſet Hoſpes, ab itinere valdè feſſus, & non haberet panes, quos illi poſſet apponere , eo quòd ipſe plures dies, ſinè cibo tranſmiſerat , appoſuit illi Carnes ſiccas , quae ad longum tempus conſervari ſolent . At hoſpes renuit illas manducare, dixitque: *Se Chriſtianum eſſe* ; non obſtante , quòd pro hoc Spiridion cum praecibus Deum invocaſſet, veniamque petiiſſet , & magna urgèret neceſſitas ; cui in ſimilibus caſibus lex non eſt poſita ; & ubi adeſſet, poteſt ad Fidelium utilitatem diſpenſari, juxta auream Melliflui Doctoris ſententiam, in praeſenti ſatis accommodam: *Canones* , inquit , *quandiù charitati militant , immobilitèr fixa ſunt , mutarique omninò , ne ab ipſis quidem Praepoſitis ſinè offenſa poſſunt . At ſi è contrario , contraria aliquando charitati viſi fuerint* (uti in caſu exiſtimabant Juſtinianus carnium abſtinentiam reſpectu ſui Populi, & Spiridion cùm hoſpite ſuo), *his dumtaxat quibus hoc poſſe videre datum eſt, & providere creditum eſt , nonnè juſtiſſimum eſſe liquet , ut quae pro charitate inventa fuerant , pro charitate quoque ubi expedire videbitur , vèl omittantur , vèl intermittantur , vèl in aliud fortè commodiùs demutentur ? Sicuti è regione, iniquum procùldubio foret , ſi ſtatu-*

Sozom. lib. 1. cap. 70. ſuae Hiſt.

S.Bernard. de Praecept. , & diſpenſ.

ſtatuta pro ſola charitate contra charitatem temerentur . . . . Numquid autem *hoc ipſum & Papa Gelaſius non ſentiit ? Ait ſiquidem, ubi neceſſitas non eſt, incontrovertibilia maneant Sanctorum Patrum decreta . Leo quoque Papa , ubi inquit neceſſitas non eſt, nullo modo Sanctorum Patrum ſtatuta violentur . Et infert , ubi ergo neceſſitas fuerit ad utilitatem Eccleſiae , qui poteſtatem habet , ea diſpenſet , ex neceſſitate enim fit mutatio* . Atqui Aves , quas ex Socrate laudat Author *Diſſertationis* tanquam licitas in Antepaſchali jejunio apud illos priſcosChriſti-fideles,dum dicit poſſe permitti tempore Quadragèſimae (in illis ſaltem Regionibus, ubi ab Eccleſia propter Piſcium deficientiam indulgetur eſus extòrum quadrupedum), cum revera , abſolutè , & ſimplicitèr ſunt Caro : Apertè ex illius *Diſſertatione Hiſtorico-Phiſiologico-Morali* , videtur deſtrui eſſentia jejunii ; ideòque non merebatur quantùm ex hoc Typis demandari , aùt in publico ſub oculis omnium exponi .

XXV. Ad oſtendendum autem , quòd Aves revera ſint Caro; & ſi hoc ob illius claritatem redundandis operae videatur ; ſatisfaciendo nihilominùs adverſae oppoſitioni pro hujus veritatis elucidatione,parum aùt nihil inſudabimus.Cùm pateat in primis ex ipsâ Sacra Scripturâ, quae Carnes vocat Aves illas , quas Filiis Iſraël pluit Dominus in Deſerto ad manducandum:*Et pluit ſuper eos ſicut pulverem Carnes*, inquit,Propheta David. Conſtat autem alias non pluiſſe Carnes in Sacrâ Scripturâ praeter Coturnìces, ut legitur in libro Numeri : *Ventus autem egrediens à Domino arreptans Coturnìces detulit,& dimiſit in Caſtra* : Has verò fuiſſe Aves non niſi gratis impugnari poteſt , cùm addatur etiam ibi :

Pſalm.77. verſic.29.

Num.11.verſic.31.

Vola-

Num. 11. verſic. 32. *Volabantque in aere duobus cubitibus in altitudine ſuper terram &c.*.Carnes itidem eas vocat Concilium Toletanum I., dùm loquens de prohibitione Car-
Concil. Tholet. 1. in aſſert. Fidei de anno 408. nium tempore Quadragèſimae, inquit : *Si quis crediderit Carnes Avium* (N.B.) *ſeù pecudum, quae ad uſum datae ſunt, non tantùm pro caſtigatione corporis hominum abſtinendas, ſed execrandas eſſe, anathema ſit*. Sub nomine Carnium illas enumerat Hierònymus, dùm ſcribens ad Salvianum, dicit:
S. Hieron. Ep. 9 *Procul ſint à Conviviis tuis Phaſides Aves, quibus ampliſſima patrimonia evolant; nec ideò te Carnes veſci non putes, ſi Suum agreſtium, Leporum, atque Cervorum, & quadrupedum animantium eſculenta reprobes; non haec pedum numero, ſed ſuavitate, & guſtu comprobantur*. Sicut facit Proſper Aquitanus
S. Proſp. lib 2. vita contempl. cap. 23. (aùt Julianus Pomerius, ut ſuprà) inquiens: *Caeterum ſi quadrupedibus abſtinentes, Phaſianis, Alitibus, vèl aliis Avibus pretioſis perfruantur, non videntur mihi reſecare delectationes ſui corporis, ſed mutare; nec pro abſtinentia, ſed velut neſcio, qua immunditia, vèl certè (quòd veriùs eſt) pro ſtomachi nauſeantis teneritudine delicatas illas communes, & viles Carnes abjicere, quo poſſunt aliis non ſolùm Carnibus, ſed etiam delicatioribus, & pretioſioribus Carnibus voluptates explere*.

XXVI. Facit etiam pro hac re, illatio decerpta ex illorum authoritatibus, qui volunt Ova ex Carne originem duci; nàm cùm iſta non niſi ex Volatilibus procreantur, Aves ſinè dubio ſub nomine Carnium apud ipſos veniunt: Hujuſmodi enim eſt Canon Quini-Sextae Synodi, demandans Fide-
Quini Sextae Synod. Can. 56 libus in Quadragèſimâ: *Ut abſtineant ſicut ab omni mactabili, ſic & ab Ovis, & Caſeo, quae quidem ſint*

fru-

fructus eorum. Id ipſum notabat Hierònymus de Antiquis Aegyptiorum Sacerdotibus: *Charaemon*, inquit, *Stoicus narrat de vita Antiquorum Aegypti Sacerdotum, quòd Carnibus, & Vino ſemper abſtinuerint. Quid loquor de volatilibus, cùm Ova quoque vitaverint, &* Lac? *Quorum alterum Carnes liquidas, alterum Sanguinem eſſe dicebant, colore mutato*. Similitèr & Gregorius ſcribens ad Auguſtinum Angliae Epiſcopum, demandavit tùm Clericis, tùm Laicis, dicens: *Par autem eſt, ut nos, qui diebus à Carnibus animantium abſtinemus, ab omnibus quoque, quae ſementinam trahunt originem carnis jejunemus, à Lacte videlicèt, Caſeo, & Ovis*. Undè poterat etiam dicere Angelicus Magiſter: *Ova, & Lacticinia jejunantibus interdicuntur, in quantum ſunt ex Animantibus exorta Carnem habentibus*. Quòd noviſſimè definivit Concilium Mediolanenſe de anno 1579., inquiens: *Omnis igitur, quem urgens neceſſitas, vèl imbecilla aetas à Quadragèſimali lege non eximit, quocunque etiam gradu, ordine, poteſtate, dignitatevè praeditus ſit, Carne caeteriſque omnibus, quae à Carne originem trahunt, utpotè Ovis, Lacte, Caſeo, Butyroque, aliiſque id generis toto Quadragèſimae tempore abſtineat*. Quibus Authoritatibus ſuffulti, (ſi non temeritatem redolere videremur, in ſprètum Authoris *Diſſertationis Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis*,) dicere poſsèmus ei, quòd olim contra Julianum ſcribebat Auguſtinus: *Catholicorum, qui fuerunt ante nos Epiſcoporum ſententiis fretus, vitreas argutias tuas, & fragilia, quibus tibi multùm videris acùtus, & nitidus, argumenta confringam*; Sed ob illius reverentiam, animique noſtri moderamen his pàrcimus, & abſtinemus.

S.Hieron.lib.2. adverſ. Jovin.

S.Greg. in Ep. ad Auguſt. Angl. Epiſc.

S.Thom. 2.2. q. 147. art. 8. ad 2.

Concil. Mediol. 1. part. 3. Conſtit.

S. Aug. lib. 1. contr. Julian.

XXVII. Et ut Authoritati etiam adhaereat ratio à Conſuetudine deſumpta pro enumerandis Avibus inter Carnes Tempore Quadragèſimae vetitas; dicimus inſuper, quòd nomine Carnium, vèl veniunt Animantia, quae ſuper terram moventur, ſicuti notabat Divus Thomas loquens de

S. Thom. 2.2. q.147, art.8.

Cibis in jejunio prohibitis: *Hujuſmodi*, inquit, *ſunt Carnes Animantium in terra naſcentium, & reſpirantium*: Et ſic certùm eſt, quòd Aves naſcuntur, & reſpirant in terrâ, adeòque à qualitate Carnium non poſſunt arceri. Vèl venit omne id, quòd apud Chriſti-fidèles communitèr pro Carnibus ſemper habitum fuit, ut in caſu noſtro poſt multos firmat

Azor.tom.1. Inſtitut.moral. lib. 7. cap. 10. q. 6.

Azorius; & ſic etiam explorati juris eſt, quòd ſemper ubique omnes Catholici (illis tantùm paucis exceptis, quos refert Socrates, cujus fidem etiam ut dubiam vindicabimus infra), Aves pro Carne habuerunt, & tempore Quadragèſimae ab illarum eſu ſe ſe cuſtodierunt; etiam illi, qui ob infirmitatem, vèl alia ex Cauſa à legibus jejunii erant ſoluti; cùm de aliquibus tantùm loquatur Socrates ſuis temporibus, tanquam de re ſingulari; & de reliquis id oſtendere non potuit Author Opuſculi in comprobationem ſuae *Diſſertationis*; illudque certè non reticuiſſet, ſi Aves fuiſſent in uſu tempore Quadragèſimae. Quòd ſat nobis debet in praeſenti eſſe; nàm cùm nunquam Eccleſia Aves (ut ſupponimus) in Quadragèſima comedere permiſerit, illaſque pro Carne aexiſtimaverit; videtur ſinè dubio ab Apoſtolis ſuam haec Conſuetudo agnoſcere Originem, juxtà celebre Auguſtini

S. Aug. lib. 1. contr. Donat. cap. 24.

eloquium: *Quòd Univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum, non niſi authoritate*

ritate

ritate Apoſtolorum traditum rectiſſimè creditur. Et Tertullianus: *Caeterum*, inquit, *quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed Traditum*. Quòd etiam confirmat S.Leo Papa, aſſerens in materia jejunii: *Dubitandum non eſt, dilectiſſimi, omnem obſervantiam Chriſtianam eruditionis eſſe Divinae, & quidquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt devotionis receptum de Traditione Apoſtolica, & de Sancti Spiritus prodière doctrina, qui nunc quoque cordibus fidelium ſuis praeſidet inſtitutis, ut ea omnes obedientèr cuſtodiant, & ſapientèr intelligant*. Adeòque cùm Conſuetudo ſit altera lex, quae Authoritatem, & obſervantiam ſibi vindicet, juxtà dictum Iſidori; *Inter legem*, inquit, *& mores hoc intereſt; quòd lex ſcripta eſt, mos verò eſt vetuſtate probata Conſuetudo, ſivè lex non ſcripta; nàm lex à legendo vocata, quia ſcripta eſt; mos autem longa Conſuetudo eſt de moribus tracta tantundem. Conſuetudo autem jus quòddam moribus inſtitutum, quòd pro lege ſuſcipitur cùm deficit lex, nec ſcriptura, aùt ratione conſiſtat, quando & legem ratio commendat*; à confiniis perplexitatis detrahitur, ipſas Aves annumerari inter Carnes, & in Antepaſchali jejunio omninò fugiendas. Niſi velimus Conſuetudines Eccleſiae ultrò parvitacere, & pro nihilo reputare, contra mandatum Concilii Moguntini, dicentis: *De conſtitutionibus Eccleſiae, quae ad Diſciplinam Eccleſiae continendam ad bonum, & decentem ordinem in Eccleſia tuendum, & conſervandum, & ad pietatem publicè, ac privatim promovendam, introductae ſunt*: *Paſtores plebem ſibi commiſſam probè, & diligentèr inſtruant, ut diſcant eas ab ordinata poteſtate conditas, velut Dei ordinationes reverentèr agnoſcere, & gratantèr eiſdem obedire*:

Tertull. lib. de Praeſcript.

S.Leo ſerm. de jejun. Pentecoſt.

Iſid. lib. 2. Origin. cap. 10.

Concil. Magunt. de ann. 1549. cap. 48.

dire : Sivè hae conſtitutiones ſervantur ex Conſuetudine, quam Paulus violari non vult : Siquis vult contentioſus eſſe, inquit nos talem Conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei ; Sivè traduntur ſcriptis Canonibus, quales Apoſtoli Spiritui Sancto tribuere non verentur : Viſum eſt, inquit, Spiritui Sancto, & nobis. Itaque plebs Chriſtiana Eccleſiae Conſtitutiones, nequaquam ut traditiones hominum (quales erant Phariſcorum, ad ſubverſionem Divinae legis adinventae, quibus Deus fruſtra colitur) aſpernantur ; ſed ut ad pietatem colendam, & continuandam in officio plebem utiles libentèr amplectuntur, nec eas exiſtiment ſine grandi piaculo poſſe violari : Conſiderantes, & ſi hoc in praeceptis Divinis non continentur, quòd tales majorum noſtrorum conſtitutiones jubent, tamen ut majoribus obediamus, ſaltem in iis, quae legi Divinae non adverſantur, diſerti juris Divini eſt. Undè & per occaſionem talium Conſtitutionum tranſgreſſores grandis peccati reos faciunt temerarios violatores.

XXVIII. Quibus ita praemiſſis, ſicuti in noſtri favorem deſcendit Auguſtinus, dùm ait: *Nobis tantùm eſt fiducia ſicurae vocis aſſerere, quòd in gubernatione Domini Dei noſtri, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Univerſalis Eccleſiae conſentione roboratum eſt;* ita contra illos, qui licitas volunt Aves in Antepaſcali jejunio, tam de praeterito, quam ad futuro, non obſtante inconcuſsâ contrariâ Eccleſiae Conſuetudine, videtur militare Iraenèus, dùm ſcribit : *Per traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſionem Epiſcoporum uſque ad nos provenientem confundimus eos, qui quoquo modo, vèl per ſui placentiam malam, vèl vanam gloriam, vèl per caecitatem, & malam ſententiam, praeter quam oportet,*

S Aug. lib. 10. de Bapt. cap. 53.

Iraeneus lib. 3. adverſ. haereſ. cap. 3.

tet, colligunt. Adeòque ſemper verum eſt, quòd *Diſſertatio Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis, de Piſcium, atque Avium eſus Conſuetudine in Antepaſoali jejunio* nullimodè merebatur Typis demandari, ſed Silentio òbvolvi.

ANIMADVERSIO II.

In qua examinantur ea, quae de Piſcibus aſſerit Author Diſſertationis.

XXIX. E Nucleato jam primo Themate, quòd *Diſſertatio Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis* de Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine in Antepaſchali jejunio non merebatur Typis demandari, ob inconveniéntia, & abſurda, quibus ſcatebat; ut gradum nobis faciamus ad ſecundum, & incrementum accipiat ſermo (etiam gratis admiſſa, talium ab ipſa *Diſſertatione* vitiorum reſecatione), quòd praelo commiſſa, non probat id, quòd probandum aſſumit, ſivè in facto, ſive in jure; ab eo, quòd de Piſcibus aſſerit neceſſe eſt, ut primo incipiat haec alia Animadverſio; cùm ab illis etiam initium ducat praelaudata *Diſſertatio*; praeferens in Titulo, quaſi de re nova, & magni momenti: *De Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali jejunio*; & de illorum tolerantia, & permiſſione ſcribit in praefatione ad Amicum ſuum Author *Opuſculi*, ab eo ipſi fuiſſe impoſitum: *Ut cùm primum tempus ab aliis ſuperaſſet occupationibus attentè inveſtigarem quibuſnam authoritatibus, rationibuſque innixi fideles, apud quos praelaudata conſuetudo vigebat,*

bat, cùm Eccleſia piſciculorum tantummodò comeſtionem tunc temporis, aùt toleraret, aùt permitteret, &c. Ubi ſinè dubio videtur praeſupponere, Piſces fuiſſe prohibitos in Quadragèſimali jejunio tranſactis illis temporibus, ad hoc, ut de illis daretur vèl permiſſio, vèl tolerantia. Indèque deſcendens ad factum principale, ſic ſuae Diſſertationi dat principium: *Piſcium eſum in Antepaſchali jejunio apud quoſdam Chriſti-fideles in uſu fuiſſe.* At pace tanti Viri, debebat priùs ipſe oſtendere in Eccleſiâ aliquam adfuiſſe legem eſum Piſcium interdicentem, ad hoc ut ſuum haberet locum id, quòd aſſerit, aliquos namque Chriſti-fideles Piſces comedere conſueviſſe in Antepaſchali jejunio; quòd cùm non faciat, ſed tantùm praeſupponat hanc prohibitionem adfuiſſe, non eſt cur ejus authoritati, & aſſertioni ſtare debeamus; quando nos Hierònymus docet: *Quòd de ſcripturis, authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Et poteſt ei adaptari id, quòd in Marcellini Papae excuſationem Donatiſtis Auguſtinus dicebat: *Lapſum Marcellini Donatiſtae quidèm Catholicis objiciunt, ſed crimen eſſe commiſſum, hactenùs non probarunt.* Quaſi quòd pro certo Sanctus Doctor videatur ſupponere, abſolutè non ſufficere aliquid aſſerere, niſi inſuper illud probètur. Et alibi, pro noſtra in poſterum directione: *Ubi de re obſcuriſſima diſputatur, non adjuvantibus Divinarum Scripturarum certis, clariſque documentis, cohibere ſe debet humana praeſumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.*

S. Hieron. in cap. 25. Matth.

S. Aug. lib. de Baptiſ. contr. Petilian, cap. 16

Idem Aug. lib. 2. de peccat. merit., & remiſſ. cap. 3.

XXX. Neque valet dicere Authorem prò ſui *Diſſertationis* corroboratiòne citaſſe Socratem, dùm

dùm addit : *Teſtatur Socrates, qui Seculo V. floruit, in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 5. cap.22., cujus verba paulò infra referemus*. Nàm Socrates loco ab ipſo citato, & inferius adducendo, ſolùm aſſerit: *Alii prorsùs animatis abſtinent, alii animantium Piſces ſolos ſumunt*. Quibus penè verbis, mores tantummodò quorundam Fidelium videtur enarrare, non autem legem, Piſcium eſum in Eccleſiâ prohibentem, oſtendere. Alitèr enim, ſi ex praefatis ſimplicibus verbis prohibitio Piſcium in Quadragèſimâ demonſtraretur, cùm poſtea Socrates addat: *Nonnulli ſicco pane ſolo utebantur, quidam ne iſto quidem*; poſſet etiam dici: Panem in Antepaſchali jejunio fuiſſe vetitum, quia aliqui illo utebantur, aliqui ab illo ſe abſtinebant. Igitur authoritas Socratis quantum ad hoc non facit ad caſum; & ex eo capite Author non probat id, quòd probandum aſſumit. Infra num. 42.

XXXI. Multoque minus ad propoſitum cadit id, quòd ex Gregorio addit: *Deindè ſeculo ſeptimo in Eccleſia omnibus permiſſum conſtat ex epiſtola Gregorii I. Auguſtino Anglorum Epiſcopo miſſa, in qua verſus finem legitur: Caeterum Piſcium eſus ita Chriſtiano relinquitur, ut hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriae pariat incendium. Denique, qui à Carne abſtinet, nequaquam ſumptuoſiora marinarum belluarum convivia praeparet.* Si quidem (& ſi illius ſit Epiſtola illa) Gregorius non aſſerit ſe permittere, vèl indulgere Piſcium eſum Chriſti-fidelibus, ſed tantùm relinquere: *Piſcium eſus ita Chriſtiano relinquitur, &c.* quando jam antea interdixerat Carnium, & Ovorum delectum in Antepaſchali jejunio, ut ibi: *Par autem eſt, ut nos qui hiſce diebus à Carnibus animalium abſti-*

Author Diſſ. fol.9., & 10.

D.Gregor. relat.in Epiſt. ad Auguſt. Angl. Epiſc.

abſtinemus, *ab omnibus quoque*, *quae ſementinam trahunt Originem Carnis jejunemus*, *à lacte videlicèt*, *Caſeo*, *& Ovis*. Adeòque per ly *relinquitur*, potiùs videtur Papa Gregorius ſupponere pro illo tunc adfuiſſe conſuetudinem comedendi Piſces, quam ipſe illam introducere, uti ipſa verbi ſignificatio praedemonſtrat. Et revera, conſuetudo comedendi Piſces, licèt apud aliquos praecipuè in Eccleſiâ Graecâ ex propriâ devotione (non autem ex Eccleſiae praecepto, quòd nullibi legitur) ſuum non habuiſſet locum in Quadragèſimali jejunio (ſicuti quidam non ſolùm ab oleribus, ſed etiam à Pane ſe temperabant, ut mox ex Socrate adnotavimus), nihilominùs negari non poteſt ante Gregorium fuiſſe in uſu apud fideles Piſciculos ſaltem (quando piùs & minus intra eandem ſpeciem, ſecundum communem Theologorum ſententiam non mutat illam) tempore Quadragèſimae; cùm non ſolùm à S. Hierònymo ſuis permittebantur Monachis, quibus erat praeſcripta caro cùm potu vini, undè San-
S.Hieron Ep.7 ctus Doctor dicebat: *Cibus ejus oluſculum ſit*, *& ſi-*
Idem epiſt. 13. *milia*, *raroque Piſciculi*; & ad S. Paulinum: *Interdum*, inquit, *Piſciculos pro ſummis ducas deliciis*; Sed etiam in Concilio Gangrenſi, ut ait rubrica in Decreto Gratiani, aùt in Concilio Hibernenſi,
Serar. in not. Epiſt. 142. S. Bonifac. ſicuti ex Columellâ docet Serarius (nullibi tamen apud ipſos illud invenire potui) contra Sacerdotes de fornicatione convictos, demandans abſtinentiam ab Ovis, Caſeo, Sagimine, & Carnibus, relictus tantummodò eis fuit Piſcium eſus:
Ex can. Presbyt. diſt. 4. *Si in vitio*, inquit, *non perſeveraverit*, *ſed ſua ſpontè confeſſus adjecit*, *ut ſurgat*, *decem annis in hunc*

mo-

modum poeniteat, tribus quidem menſibus privato loco à caeteris remotus pane, & aqua à veſpere in veſperam utatur, tantùm autem diebus Dominicis, & praecipuis Feſtis modico vino, & Piſciculis, atque leguminibus recreetur, ſinè Carne, & Sagimine, Ovis, & Caſeo, &c. Igitur pro illo tunc Piſces non erant interdicti; alitèr in Dominicis Quadragèſimae fuiſſent hujuſmodi Presbyteris non permiſſi, ſed vetiti, dùm per decennium à reliquis arcebantur cibis: Potiſſimum quia Iſidorus, Gregorii Diſcipulus, hanc Piſcium prohibitionem tempore Quadragèſimae penitùs ingnoravit, dùm loquens de Cibis Quadragèſimalibus, dixit: *Non igitur quia Carnes malae ſunt, ideò prohibentur, ſed quia earum epulae Carnis luxuriam gignunt, fomes enim, ac nutrimentum omnium vitiorum eſca ventri, & venter eſcis, Deus autem & hunc, & hanc deſtruat: Piſcem ſanè, quia eum poſt Reſurrectionem accepit Dominus, poſſumus manducare. Hunc enim nec Salvator, nec Apoſtoli prohibuerunt.* Et Concilium Toletanum IV. ubi enumerat Carnes, & Cibos in Quadragèſimâ vetitos, ab his ſemovet Piſces, dicens: *Statuimus ut omnibus diebus Quadragèſimae Alleluia non cantetur, quia tempus moeroris eſt, in temporibus verò reliquis idemque Calendis Januarii, quae proptèr errorem Gentilium aguntur, omninò Alleluia non demutabitur, in quibus etiam praeter Piſcem, & Olus, ſicut & in illis quadraginta diebus, caeteris Carnibus abſtinetur.* In ſignum cujus, inter caeteros errores, quos ultrò Graeci antiquitùs tribuebant Latinis, ut videre eſt apud Manuelem Calècam, unus erat: *Quòd in Quadragèſima ſemel quotidiè properantèr comedentes Veſperi Piſces ad ſatietatem manducant, &* inc-

S.Iſid. de Eccleſ.offic.lib.1. cap.44.

Concil. Tolet. 4. cap.10.

Manuel Caleca nu.54. ut in tom.26.fol.473 Bibliath. vet. P.P.

inebriantur, quibus & tota die bibere nulla eſt religio, & tamen hac unica ſua refectione jejunium Sanctum, caſtum, & inculpatum à ſe obitum exiſtimant; non obſtante, quòd etiam ipſi Graeci Piſces introduxiſſent in eorum jejuniis; ſcribente adverſus Epiſtolam Marci Epheſini Gregorio Prothoſyncello: *Neſcit ergo, ut planè videtur eximius hic vir varios in hac etiam magna Urbe Conſtantinopolitana ſervari mores jejuniorum, & rituum eſſe diverſitates; nàm & ipſo Sanctae, ac magnae Quadrageſimae tempore diebus Sabbati, & Dominicae multi veſcuntur Piſcibus; alii quoque aliis diebus.* Et ea videtur eſſe potiſſima ratio, cùr Piſces non debebant cenſeri prohibiti in primitivâ Eccleſiâ tempore jejunii, quia Jeſus Chriſtus, quì ſuam informabat Eccleſiam, pluriès (etiam poſt Paſſionem) cùm Diſcipulis ſuis Piſces comèdit; itaùt inter frugales, licitoſque cibos illos enumeret Clemens Alexandrinus, dùm loquens de alimentis frugalibus ait: *Veram frugalitatem, & tenuitatem tanquam ſcopum proponentes, quam mihi Dominus videtur quoque ſignificaſſe cùm panes benedixit, & aſſos Piſces, cùm quibus ſuos Diſcipulos convivio excepit, cibi non nimis exquiſiti, pulchrum exemplum inducens. Ille itàque Piſcis, quem (cùm juſſiſſet Dominus) Petrus coepit ipſe quoque facilè, Divinitus donatam, frugaleque, ac moderatum alimentum ſignificat.* Et paulò inferiùs: *Habetis hic aliquid, quòd edi poſſit? Dixit Dominus Diſcipulis poſt reſurrectionem: Illi verò ut qui frugalitatem exercere ab eo didicerant, ei aſſi Piſcis partem dederunt.* Ideòque ex Modernioribus Scriptoribus jueremeritò potuit Serarius dicere: *Caro Piſcium generatim, vetita nunquam fuit.*

Gregor. Prothoſ. in Apol. adv. Ep. Marci Epheſ., ut in tom 9. Concil. Labbè.

Clemens Alex. lib. 2. Pedag. cap. 1.

Serar. ubi ſupr.

XXXII. Ne-

XXXII. Neque attendendus venit BaptiſtaMantuanus dùm cecinit apud eùndem Authorem. Author Diſſ. fol.10.

Non tamen illicitum Piſces adhibere minutos.
Gregorius Magnos prohibet: Sed longior uſus
Obſtitit, & pontipecuaria magna per omnes
Jam volitant Procerum menſas, & Prandia Regum
Sordida Gregorii leges obſervat egeſtas.

Nàm in primis (ut de hujuſmodi Profeſſoribus cecinit Horatius)

.... Pictoribus, atque Poetis. Horat. de Art. Poet. in princ.
Quilibet audendi ſemper fuit aequa Poteſtas.

Indèque falſo aſſerit, Piſciculos fuiſſe tantùm à Gregorio permiſſos, non autem Magnos (quando Author *Diſſertationis* etiam Magnos vult ab illo conceſſos: *Piſcium eſus in Antepaſchali jejunio apud quoſdam in uſu fuiſſe; Deindè in Catholica Ecclesia Omnibus permiſſum conſtat ex Epiſtola Gregorii I.*), cùm ille ſolùm dicat: *Piſcium eſum*, &c. Ubi nomine *Piſcium*, non eſt cur veniant Piſciculi tantùm, & non Piſces magni. Et ubi addit: *Qui à Carne abſtinent, nequaquam ſumptuoſiora maritimarum belluarum convivia praeparent*; non qualitatem Piſcium reſpicit, ſed tantummodò opipera Convivia indicat, quae ad Crapulam, & Satietatem declinare videntur; quam nos non ſolùm in repletione Piſcium ultrò damnamus, juxtà edictum Concilii Colonienſis de anno 1536.: *Admonendus eſt Populus cùm jejunandum erit, non minus ſumptuoſa, & prolixa illa Piſcium fercula, quam Carnium vitanda; bellaria itidem illa magis, quam Carnes inflammantia*; necnon & illud Anaſtaſii Sinaitae: *Si quis autem à Carnibus abſtinet, aliis verò cibis, & potu ſe ingurgitat, corpuſque pingue facit, & adipe* Concil. Colon. part 9. cap. 5. Anaſt. Sinait. quaeſt. 64.

reple-

repletum reddit, nihil prodeſt jejunium. Sed etiam in viliſſimis cibis illam praeſcribebat Hierònymus, dicens: *Sed & ex viliſſimis cibis vitanda ſatietas eſt. Nihil enim ita obruit, ut plenus venter, & exeſtuans, huc, illucque ſe vertens*. Immò in ſolâ Panis comeſtione, & Aquae potu pertimeſcebat ſatietatem Bernardus, dùm ediſſerens de ſatietate, ſcribebat: *Panem ipſum cùm menſura ſtudebo ſumere, ne onerato ventre ſtare ad orandum taedeat, & ne improperet mihi Propheta, quia panem meum comederem in ſaturitate, ſed ne ſimplici quidem aqua ingurgitare me aſſueſcam, ne diſtento ventre, uſque ad Titillationem pertingat libidinis*. Sicque prima pars *Diſſertationis* in Specioſo illo Titulo comprehenſa: *De Piſcium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali jejunio*, ubi pro ſui comprobatione aliud non habebat, niſi quatuor verſus Baptiſtae Mantuani, & ſimplicem Gregorii ſentèntiam (nec benè intellectam), quae videtur ſupponere prohibitionem Piſcium in Quadragèſimâ; non eſt cur debeamus dicere illam probare id, quòd probandum aſſumit; quando è ſubliminio tantùm Controverſiae ſtatum ſalutavit, & in monumentum difficultatis nec etiam deſcendit. Adeòque ſublato hoc fundamento, ubi illius Author intendebat ſuper imponere, ac ſuper erigere molem licitae comeſtionis Avium in Antepaſchali jejunio, infirmatum paritèr videtur robur ipſiuſmet novae Conſuetudinis edendi Volatilia in Quadragèſimâ; cùm praefatus Author hanc collineabat ex illa comeſtione Piſcium, ut ſuprà adnotavimus, quòd ſcilicet, ſicuti piſces erant vetiti, & tamen ſinè ſcrupulo tolerabantur

S.Hier. lib. 2. contr. Jovin. capit 9.

S.Bern. ſerm. 66. in Cantic.

Supr. num. 6.

ni

in Antepaſchali jejunio, poſteàque fuerunt abſolutè introducti ſine labe peccati in totam Eccleſiam; ita paritèr tolerabantur Aves ſinè Conſcientiae titubatione in diebus jejunii, quamvis prohibitae, & poſſunt ſimilitèr permitti in toto Orbe Chriſtiano.

At, ut hoc (ubi fortiùs figit pedes Author Diſſertationis), funditùs ſubvertatur, examinandum primò venit, an ſubſiſtat in facto; quòd in Antepaſchali jejunio comedebantur Aves à quibuſdam Chriſti-fidelibus, & revera probetur id, quòd probandum aſſumitur. Undè ſit:

ANIMADVERSIO III.

In qua evincitur inſubſiſtentia facti de comeſtione Avium in Antepaſchali jejunio.

XXXIII. JOcando uſque modo, ut ita dicam, digladiati ſumus in duabus praeteritis Animadverſiònibus cùm Authore *Diſſertationis*, denotando ea, quae cohaerentèr ad illius Opus inferri poterant ex ejus doctrinâ, & refellendo omnia illa, quae ipſe pertranſeuntèr de Piſcibus adnotavit; nunc autem ingraveſcente pugnâ, neceſſe eſt, ut detecto latere, in arenam conſcendamus, pro veritate adinveniendâ circa eſum Avium in Antepaſchali jejunio. Quapropter ſi illam ex promptuario Socratis jam excerpſiſſe gloriatur Candidatus noſter; dùm in margine ſui *Opuſculi*, veluti in plumbi laminâ, ſtylo ferreo inſculpſit: *De Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali jejunio,*

junio, quam memorat Socrates lib. V. ſuae Hiſtoriae cap.22.; Nos tamen, qui oppoſitum propugnamus ex rationibus, & authoritate inſignium Virorum in contrarium communiter facientes; miramur, cur Homo tanti ingenii, tantaeque Eruditionis (qualem ipſum exiſtimamus), hoc magni ponderis negotium adminiculatus fuiſſet ſolis humeris Socratis, qui in viâ veritatis, & praecipuè in materiâ jejunii, de quo agitur in praeallegato loco, claudicare omninò ex communi Scriptorum placito videatur! Undè ad veritatem inveniendam, audiamus primo loco quid nam dicat Baronius de

Baron. in Praefat. Annalium.

ipſo Socrate: *Et ut de antiquioribus loquar, qui ejuſdem argumenti commentarios ediderunt difficile eſt invenire, qui veritatem in omnibus fuerit aſſecutus..... Claudicat aeque veritas in Socrate ſectae Novatianorum addicto, & Sozomeno, eadem tincto fuligine.* Auſcultemus deindè Melchiorem Canum in libris

Melch. Cano lib. 11. de locis cap. 6.

de locis, ubi agens de Hiſtoriâ, inquit. *Si uni Hiſtorico Authoritatem Eccleſia tribuit, hic dubio procùl dignus eſt, cui nos authoritatem etiam adjungamus. Contra verò, Cui Eccleſia derogavit, jure ac merito derogabimus.... Quò mihi nomine, ut caetera omittam Socratis Scholaſtici minus Hiſtoria placet. Etenim & Origènis ipſe Patronus eſt, & Neſtoryum excuſat, & Cyrillum mordet, & Alexandrum vellicat, & in rejectione Presbyteri poenitentiarii homouſianorum innocentiam damnat.* Audiamus parìtèr quomodo

Petav in notis S. Epiph. pag. 363.

illum carpit Petavius: *Mira quidem in Quadragèſimali jejunio Religione varietas apud Antiquos extitit, de quà Irenaeus apud Euſebium lib. 5. cap. 24., & Socrates lib. 5. cap.22., qui quidem inſignitèr aberrat, dùm Romae ſcribit tres dumtaxat Hebdomodas*

ante

ante Paſcha continuò jejunari, excepto Sabbato, & Dominica, quòd ſupra refutatum eſt. Sed prae-caeteris audiendus eſt Robertus Bellarminus Controverſiarum Princeps, & Magiſter, dùm & ipſe ait: *Socratem non multum fidei mereri, cùm & Novatianus, & Aetianus fuerit: Cupiebat enim (ut ipſe apertè in hoc loco indicat) Feſta, & jejunia omninò eſſe libera. Deindè aùt manifeſtè falſa ſcribit, aùt Codicem ejus corruptum habemus. Scribit enim apud Romanos non jejunari, niſi tribus hebdomadibus ante Paſcha, detractis Sabbatis, & Dominicis: At Romae potiſſimè jejunabatur Sabbato, non ſolùm in Quadragèſima, ſed per totum annum, ut S. Auguſtinus docet in Epiſtola 88. ad Caſulanum. Immò ipſi Graeci in Canone 55. eorum, qui Sextae Synodi tribuuntur, Romanos reprehendunt, quòd Sabbato in Quadragèſima jejunant. Itàque exploratus eſt error Socratis, quòd Romani Sabbata excipiant à jejunio Quadragèſimae. Nec minùs exploratus eſt error, quòd non jejunent, niſi tres Hebdomadas, nàm Caſſianus, qui vixit eodem tempore, quo Socrates, ſcribit: Latinos jejunare ſex Hebdomadas; & S.Leo, qui fuit Epiſcopus Romanus tempore Socratis, in ſerm. 5. de Quadragèſima dicit, Romae jejunium antè Paſcha eſſe omninò quadraginta dierum.* Immò relictis Aliis, in terminis terminantibus de eſu Avium in Antepaſchali jejunio contra Socratem habemus hic Censùram, ſilentio nòn praetereundam, quam illi notat Raynerius, ubi attendens Joannem Launòjum adduxiſſe praealligatum Socratis locum prò ſuà comprobandà opinione de licito Carnium eſu in Quadragèſimà, nec non ipſum ſubjunxiſſe. *Quin etiam nonnullos extitiſſe, qui modo Piſces cùm Volucribus*

Bellarm.tom 3 lib.2. cap.15.

Launojus apud Rayner. infra.

quibuſdam comederent, modo variis ciborum generibus uterentur: At varia ciborum genera Carnes cur non includerent, ſi cùm aliis, quae Socrates enumerat maximè comparantur? Sic eum exagitat: *Quid indigniùs, quam ut ad rationem jejuniorum aſſumendam Aerianus Aſſectator in Teſtem producatur, cui ex ipſa ſectae ſuae profeſſione penſum erat, ut jejuniis illuderet? Ut Catholica praxis ab Haeretico tàm infenſo Catholicorum hoſte deſumatur! Ut ab homine tàm aperto depravatore veritatis, & illuſore certum ejus teſtimonium requiratur! Quid indigniùs, quam cùm illo ſentire contra Patres, & contra ſenſum Catholicorum, quòd aùt nihil ab Apoſtolis de Ciborum delectu praeceptum ſit, aùt illud ſolùm intelligi debeat praecepiſſe, quòd ſit literis conſignatum! Quid indigniùs, quam plùs etiam concludere prae illo ut varia Ciborum, quae indicat genera continere, intelligantur Carnes, quas tamen ipſe non expreſſit!* (Addens in Margine, ſivè ipſe, ſivè Joannes Nicolaus de ſupradictis non contentus illam ineptam, & ridiculam rationem): *Quòd initio Mundi Volucres ſic ex Aqua ortae ſint, ſicut, & Piſces.*

XXXIV. Et revera, quòd Socrates fece Novatianorum, & Aerianorum imbutus, intendat ibi oſtendere tùm Feſta, tùm jejunia eſſe libera, ut advertit mox laudatus Bellarminus, patet ex contextu ejuſdem capitis, ubi ait: *Chriſtianis enim nulla lex permittit, ut judaicè vivant, quia ex contrario prohibetur hoc ab Apoſtolo, qui non modò Circumciſionem reiicit, ſed & de Feſtis diebus diſputandum non eſſe monet. Quapropter Galatis ſcribens, dixit: Dicite mihi, qui ſub lege eſſe vultis: Legem non audiſtis? Et cùm pauca de illo diſſeruiſſet Judaeorum*

Socrates lib.5. cap.22.

Popu-

Populum ſervum eſſe oſtendit, eos verò, qui Chriſto acceſſerunt ad libertatem eſſe vocatos. Hortatur autem nè ullo pacto dies, & menſes, & Anni obſerventur. Sed & in ea, quae ad Coloſſenſes eſt, magna voce obſervationes illas umbram eſſe dicit. Quapropter nemo vos, inquit, judicet in Cibo, aùt in potu, aùt in parte Diei Feſti, vèl Novilunii, vèl Sabbati, quae ſunt umbra futuri. Nuſquam igitur Apoſtolus, nec ipſa Evangelia jugum ſervitutis illius imponunt, qui ad praedicationem accedunt. Indèque, poſtquam laudaverit conſuetudinem Aſianorum celebrantium Paſcha in die quartadecimâ Lunae (quam poſt tot deciſiones Victòris Papae, damnaverat Magna Nicoena Synodus) Addit ipſe Socrates: *Quarta decimam autem obſervantiam, quarta decimae à Joanne Apoſtolo ipſi eſſe dicunt. Romani verò, & Occidentales Suarum Eccleſiarum conſuetudines ab Apoſtolis Petro, & Paulo datam eſſe aſſerunt. Verùm neutra pars demonſtrationem aliquam hac de re, ſcripto traditam proponere poteſt. Quòd autem Paſchatis Feſtum ſingulis locis pro conſuetudine ſervetur, hinc conjecto. Nulla Religio eoſdem ritus cuſtodit, etiam ſi eadem de illis doctrinam amplectatur. Etenim qui ejuſdem ſunt Fidei de ritibus inter ſe diſſentiunt.* Haec de feſtis Socrates tanquam Novatianus. Concil. Nicoen. I, Can. 2.

XXXV. In deſtructionem autem jejuniorum ut Aetianus, poſt adducta verba per *Diſſertationis* Authorem (quae nos infrà tranſcribemus), quae diverſitatem Ciborum à Chriſti-fidelibus in Antepaſchali jejunio adhibitam oſtendunt, addit: *Et quoniam hac de re nemo ſcriptum aliquod mandatum oſtendere poteſt, liquet, quòd & illam Apoſtoli cujùſque ſententiae, ac voluntati liberam relinquerint,* Infr. num. 42. Idem Socrat. loc. cit.

nè metu quiſquam, vèl ex neceſſitate, quòd bonum eſt operetur. Talis per Eccleſiam eſt jejuniorum diſſonantia. Ubi attende Socratem ſupponere, nullam eſſe legem, nullumque in ſcriptis praeceptum, quò demandetur jejunium Quadragèſimale; veténturque Carnes in Antepaſchali jejunio, ſed omnia pendere ex liberâ fidelium voluntate: Quaſi quòd Apoſtolica Traditio (ex quâ habetur jejunium cùm neceſſariâ à Carnibus abſtinentiâ, ut dicebamus ſupra), debeat in Sacrâ Scripturâ eſſe exarata, & non potiùs oretenùs Eccleſiae commendata, juxtà ipſius Traditionis naturam, quae nonnulla obſervare tenetur, de quibus cauſam ignorat; dicente ad propoſitum Origène: *In Eccleſiaſticis obſervationibus ſunt non nulla, quae omnibus facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nàm quòd* (verbi gratia) *genua flectamus orantes, & quòd ex omnibus Coeli plagis ad ſolam Orientis partem converſi fundimus orationem, non facilè puto cuique eſſe ratione compertum, ſed & Euchariſtiae, ſeù percipiendae, ſeù quo ritu geritur explicandae, vèl eorum quae geruntur in Baptiſmo verborum, geſtorumque, & ordinum, atque interrogationum, & reſponſionum, quis facilè explicat rationem! Et tamen haec omnia aperta licèt, & velata portamus ſuper humeros; cùm ita implemus ea, & exequimur, ut à Magno Pontifice Chriſto, & Filiis ejus tradita, & commendata ſuſcepimus.* Indèque, quòd non ex noſtro beneplacito, ut vult ipſe Socrates, ſed ex Eccleſiae praecepto, obſervemus jejunium Quadragèſimale, patet tùm ex Graecis, tùm ex Latinis Patribus, qui ante Socratem floruere. Dicente in primis Baſilio Magno: *Jejunium per omne*

Supr. num. 20. & 22.

Origen. homil. 5. in Numer.

S. Baſil. Orat. 2 de jejun.

omne tempus utilè eſt his, qui illum ſuſcipiunt; ſed multo magis hoc tempore (ſupple Quadragèſimae), *quo per univerſum terrarum Orbem undìque denunciatur jejunii praeceptum: Nulla eſt Inſula, nec Terra continens, non Civitas, non Gens ulla, non extremus Mundi Angulus, ubi non fuit auditum jejunii edictum, quin & Exercitus, & Viatores, & Nautae, & Negotiatores omnes audiunt edictum*. Et Nazianzenus redarguens Eleuſium Praefectum: *Legibus*, inquit, *Injuriam facis Judex, ſi non jejunas; & quomodo leges humanas ſervabis, ſi Divinas contemnis, & pro nihilò putas? Purgà Tribunal tuum*. Id etiam affirmabat Auguſtinus ſequentibus verbis: *Aliis diebus jejunare remedium eſt, aùt praemium, in Quadragèſima non jejunare peccatum eſt*. Et Hierònymus: *Nos*, ait, *unam Quadragèſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum tempore congruo jejunamus, non quòd & per totum annum excepta Penteceſte jejunare non licèt, ſed quòd aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre*. Igitur perperam Socrates, ſinè ullo fundamento, & tanquam Haereticus Aetianus ad deſtruendam jejunii eſſentiam, dixit, liberum eſſe Fidelibus modum peculiarem ſibi praeſcribere in jejunando, quia hujuſmodi opus legibus non coarctatum, in Eccleſià reliquerunt Apoſtoli: Adeòque nil mirum ſi ad hunc comprobandum errorem falſa ſcripſiſſet circa eſum Avium in Antepaſchali jejunio.

S.Gregor.Naz. Epiſt.74.

S. Auguſt. ſer 62. de tempor.

S Hieron. Ep. ad Marcell. adverſus error. Montan.

XXXVI. Et quòd aberraverit deindè, variatum deſcribendo Uſum jejunii quo ad dies in Eccleſiâ, & praecipuè apud Romanos, qui tres hebdomodas ante Paſcha excepto Sabbato jejunabant: *Jejunia*, inquit, *ante Paſcha invenire eſt aliter ab aliis cuſto-*

Socrat. lib. 5. Hiſt. cap. 22.

cuſtodiri: Romani namque tres ante Paſcha Septimanas, praetèr Sabbatum, & Dominicam continuas jejunant: Illirici, & tota Hellada, & Alexandrini ante ſex ſeptimanas jejunium ante Paſcha jejunant, illudque Quadragèſimam vocant. Reliquorum autem praetereà alii ante ſeptem hebdomodas Feſti hujus jejunium ordiunt, &c., ultra ea, quae pro Eccleſiâ Romanâ ſupra notarunt Petavius, & Bellarminus, in favorem jejunii Sabbati, inquit etiam Auguſtinus ad Caſulanum ſcribens: *Quòd me conſulis, utrum Sabbato liceat jejunare? Reſpondeo.... de die quidem Sabbati faciliòr cauſa eſt, quia & Romana jejunat Eccleſia, & aliae nonnullae.... Non tibi perſuadeas Urbem Chriſtianam ſic laudare Sabbato jejunantem, ut cogaris Orbem Chriſtianum damnare prandentem*. Et Sanctus Ambroſius: *Quando*, inquit, *hic ſum non jejuno Sabbato, qudndo Romae ſum jejuno Sabbato*. Cujus jejunii cauſam invenies apud Rabbanum, quia ſcilicèt, ſicuti in Eccleſiâ Orientali jejunatur die Veneris ob memoriam Paſſionis Chriſti, non autem die Sabbati (Sabbato Sancto tantummodò excepto, ob memoriam ſepulturae Domini), dicente Ignatio Martyre: *Si quis Dominicam diem, aùt Sabbato jejunaverit uno excepto, hic Chriſti interfector eſt*. Ita in Eccleſiâ Romanâ jejunatur Sabbato, ob reverentiam ſepulturae ejuſdem Crucifixi Salvatoris: Undè in actis Innocentii Papae I. (qui vixit temporibus Hierònymi, & Auguſtini, ante Socratem) regiſtratum habemus: *Probavit etiam ut Sabbato ob memoriam Chriſti Domini Sepulturae jejunium ſervaretur*.

S. Auguſt. Ep. 86. ad Caſulan.

S. Ambroſ. de jejun.

Rabban. lib. de Inſtit. Cleric. cap. 23.

S. Ignat. Mart. Ep. 7. ad Philippenſ.

Innoc. Pap. I.

XXXVII. Reſpectu diverſitatum dierum indè, eſt

eſt etiam in primis notandum, quòd jejunium Quadragèſimale traditur ab Apoſtolis inſtitutum quaſi decima dierum totius anni, quae ad triginta ſex dies tantummodò enumeratur, dicente ex Graecis Dorotheo Abbate: *Septem autem Hebdomodae, abſque Sabbatis, & Dominicis triginta quinque dies complent, quibus adjecto Sabbato Sancto, & media parte noctis Dominicae, ſplendidè creſcit numerus dierum, & triginta ſex cùm dimidio computantur, quae decima pars eſt rectè numerus tercentorum ſexaginta quinque dierum anni. Tercentorum enim dierum, decima pars eſt triginta, ſexegenarii numeri ſex, quinque autem dimidius dies. Haec eſt decimatio, quam nobis in poenitentiam, & purgationem peccatorum noſtrorum Apoſtoli Sancti conſecraverunt.* Et Germano interroganti: *Quid cauſae eſt, ut ſex hebdomatibus Quadragèſima celebretur, licèt in quibuſdam Provinciis Religionis forſitan propenſior cura adjeciſſe hebdomodam ſeptimam videatur, cùm neutèr numerus, die Dominico, Sabbatoque ſubtracto, quadraginta dierum impleat ſummam? Sex enim, & triginta dies in ipſis hebdomatibus concluduntur*; reſpondit Theonas Abbas, dicens: *Lege Moſayca univerſo Populo generalis eſt promulgata praeceptio: Decimas tuas, & primitias offeras Domino Deo tuo. Itaque, qui ſubſtantiarum noſtrarum, omniumque fructuum decimas offerre praecipimur, multomagis neceſſe eſt, ut ipſius quoque converſationis noſtrae, & humani uſus, operumque noſtrorum decimas offeramus, quae profectò in ſuppoſitione Quadragèſimae, evidentèr impletur. Omnium enim dierum numerum, quibus revolutus in Orbem annus includitur, triginta ſex ſemis dierum numero decimatur. In ſeptem verò hebdomadi-*

Dorot. Abb. de S. jejun. doctr. 15., ut in Bibliot. P.P.

German. apud Caſſian. Coll. 21. cap. 24.

Theonas ibid. cap. 25.

madibus ſi dies Dominici, & Sabbata ſubtrahuntur; quinque, & triginta ſuperſunt dies jejuniis deputati, ſed adjecta illa vigiliarum die, quae uſque in gallorum cantu illuceſcente Dominica jejunium Sabbati protelatur, ſex, & triginta dierum numerus adimpletur, &c. Ex Latinis autem poſt Iſidorum adnotavit etiam Petrus Bleſſenſis: *Apoſtolica Traditio fuit triginta ſex diebus jejunare ante Paſca. Audientes enim in lege primitias fructuum, & Decimas ſibi Dominum vindicare, nihilominùs primitias dierum, & Decimas Deo ſacrificare ſtatuerunt: Jejunia quatuor temporum, tanquam primitias inſtituentes in quibus duodecim dies, tanquam primitiae duodecim Menſium obſervabantur, & trecentorum ſexaginta ſex dierum, decima pars triginta ſex dies: Ideò & hos dies tanquam decimas dierum jejunio conſecrarunt. Subſequentes verò Patres Apoſtolici quatuor ſuperaddiderunt, ut numerus decimi jejunii adimpleretur.*

S.Iſidor. lib.1. de Eccleſ.offic. cap.36.

Petr. Bleſſ. ſerm.13.

Pro quâ re etiam à nonnullis citatur Gregorius, ubi ait: *A' praeſenti die, uſque ad Paſchalis ſollemnitates gaudia ſex hebdomodae veniunt; ex quibus dùm ſex dies Dominici abſtinentiae ſubtrahuntur, non plus in Abſtinentia, quam triginta & ſex dies remanent. Dùm verò per trecentos, & ſexaginta quinque dies annus ducitur, & nos per triginta, & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus, ut qui nobiſmetipſis per acceptum manus viximus Authori noſtro, nos in ejus decimis per abſtinentiam mortificamus. Vndè Fratres Chariſſimi ſicùt offerre ex lege jubemus decimas rerum, ita ei offerre contendite, & decimas dierum.* Sed immeritò! Quia licèt hoc reverà afferat Gregorius, nihilominùs ipſe perpetuus eſt in numero quadraginta dierum; cùm non

S. Gregor. relat. in Can. *Quadrageſimae* diſt. 5. de Conſecrat.

ſolùm

ſolùm in Officio; *quòd Sacramentarium Gregorii* appellatur, docet a Feria quarta Cinerum (quam caput jejunii nominat) eſſe jejunandum, ibique Praefationem adaptat: *Qui Quadragèſimali jejunio vitia comprimis*. Et pro Miſſa Collectam inſtituat: *Praeſta quaeſumus Domine Fidelibus tuis, ut jejuniorum veneranda ſolemnia, & congrua pietate ſuſcipiant, & ſecura devotione percurrant*; ad quòd alludens Micrologus habuit dicere: *Sciendum, non ſolùm modernos ut quidam putant, ſed etiam antiquos à Càpite jejunii Quadragèſimam incaepiſſe, cùm & S. Gregorius ibi Quadragèſimalia officia videatur initiaſſe. Sic enim in Gregorianis Sacramentariis, ſivè Gradualibus libris declaratur*. Sed etiam Gregorius ad allegata verba praemiſit: *Quamvis de hoc Quadragèſimae tempore, eſt aliud, quòd poſſit intelligi à praeſenti enim die, &c.* Adeòque cùm ipſe jàm explicaſſet Quadragèſimam obſervari Circulo quadragintâ dierum (ſicuti etiam fiebat tempore S. Leonis Papae ejus praedeceſſoris), & in Dominicâ primâ Quadragèſimae talem Homiliam habuiſſet ad Populum, ab illo die numerare coepit uſque ad Sanctum Paſcha, ob aliud Myſterium, quòd his diebus deſignabàtur, & ob quòd jejunium Quadragèſimale, tanquam decima totius Anni ſumebatur à nonnullis, ſicuti à nobis comprobatum eſt ſupra.

Microlog. de Eccleſ. obſerv. cap. 49.

S.Greg. ſupr. & in Homil. 36. in Evangel.

XXXVIII. Inſuper eſt advertendum, non ſolùm Orientalem Eccleſiam non jejunare uſque ad noſtra tempora diebus Dominicis, & Sabbato in Antepaſchali jejunio, ut dicebat Sanctus Ignatius Martyr: *Si quis Dominicam diem, & Sabbato uno excepto, jejunaverit, hic Chriſti interfector eſt*. Et ſu-

S.Ignat. Epiſt. 7. ad Philipp.

ſupra laudati Theonas, & Dorotheus Abbates, ſed etiam in Eccleſiâ Romanâ primi fideles non jejunabant diebus Dominicis, & diebus jovis tempore Quadragèſimae, ex quadam Melchiadis Papae conſtitutione, de quà memorat Alevinius, dicens: *Melchiades Papa natione Afer, trigeſimus quartus poſt S.Petrum, conſtituit, ut nemo praeſumeret in prima, vèl quinta feria jejunare: In prima propter Domini Reſurrectionem: In quinta, quia in ea Caenavit Dominus cùm Diſcipulis, & in ea aſcendit in Coelum*. Undè quaedam Gloſſa addit: *Quia in iſtis diebus facit Dominus quidquid inſignè fecit, quia die jovis Coelum aſcendit*. At quia non ſolùm fideles die jovis à jejunio ſe abſtineant, ſed etiam ab omni opere ſervili. Ideò Agapitus Papa, feſtivitatum multiplicati conſulere volens diem jovis tranſtulit in Dominicam; propter quòd Feria quinta in Quadragèſimâ dicebatur *Vacans*, quia proprium officium non habebat, & in illâ repetebatur officium diei Dominicae praecedentis, ſicuti obſervat Author Micrologi, dicens: *Sanctus Gregorius in diſpoſitione Officiorum, quintam Feriam infra Quadragèſimam vacantem dimiſit, & quia feſtiva erat ſicut Dominica, etiam officio Dominicae donaretur*.

Alevin.de Divin. Officiis.

Gloſſ.in Can. *jejunium* de Conſecrat. diſtin.3.

Microlog. de Eccleſ. obſerv. cap.50.

XXXIX. Hinc orta eſt differentia in diebus jejunii Quadragèſimalis quò ad diverſitatem dierum; quia quidam jejunabant quadraginta dies in memoriam jejunii Chriſti Domini noſtri, ſicut hodie facit Eccleſia Romana (vultque ſemper ita tenuiſſe Alphonſius Piſanus: *Eccleſiae Romanae*, inquiens, *conſuetudo ſemper fuit, ut à feria quarta Cinerum uſque ad Paſchales dies jejunium Quadragèſimae*

Alphonſ. Piſ. lib. 8. de Poenit. cap.8.

gèſimae celebraretur) . Alii verò jejunabant triginta ſex dies , quòd eſt decima totius anni : Sicùt hodie obſervat Eccleſia Ambroſiana , quae incipit jejunium à Feriâ ſecundâ poſt dominicam Quadragèſimae . Idque etiam tenet Eccleſia Orientalis , licèt inchoant Graeci jejunium à Feriâ ſecundâ poſt Dominicam Quinquagèſimae , quia ultra Dominicas , nec etiam Sabbato jejunant , excepto Sabbato Sancto , ob memoriam ſepulturae Chriſti Domini . In primitivâ autem Eccleſiâ Romanâ , quia ut dicebamus Feriabant Fideles die jovis à jejunio , poterant etiam incipere jejunium à feriâ ſecundâ poſt Quinquagèſimam . Undè Dominica Quinquagèſima , *Dominica Carnis privium* ſolet à Mattheo Pariſio nuncupari : Et *Dominica Excarnalium* à Theodoro Studita , quia tali die Carni vale dicebant . Matth. Pariſ. in Hiſtor. Theodor. Studita ſerm. 40.

XL. Quapropter ubi dicit Socrates : *Illirici ante ſex ſeptimanas jejunium Antepaſchale jejunant* , comprehendit ùtique numerum triginta ſex dierum ſinè Dominicis . Ubi addit : *Reliquorum autem alii ante ſeptem Hebdomodas Feſti hujus jejunium ordinant*, ſi ex his ſeptem Dominicas demas, & ſex Sabbata (nàm ſeptimum eſt Sabbatum Sanctum , quando etiam Orientales jejunant) facit paritèr numerum triginta ſex dierum . Sicque non videtur inter hos jejunantes ulla dierum differentia , etiàm ſi apud quoſdam numerentur ſeptem hebdomodae , apud alios verò ſex tantùm, ſicuti contra Photium , improbantem Occidentales , utpotè ſex tantummodò Hebdomodas jejunantes, illud obſervavit Rhatramnus , dicendo : *Hac de cauſa non habent Graeci , quòd Romanis objiciant ſuper Hebdomo-* Rhatramn. in reſp. ad Phot.

 domo-

domodarum diſparitate, *quia quòd illi in Octo Hebdomodas faciunt*, *hoc tàm Romana*, *quàm Occidentalis Eccleſia*, *ſex Hebdomatibus perficere noſcuntur ſuperadditis quatuor diebus*. Et in ſupracitatis reſponſionibus ad Germanum animadvertit Theonas Abbas, inquiens: *Porrò quòd dicitis*, *diverſo more*, *id eſt*, *ſex*, *vèl ſeptem hebdomatibus per nonnullas Provincias Quadragèſimam celebrari*, *una ratio*, *idèmque jejuniorum modus diverſa hebdomadarum obſervatione concluditur*. *Hic enim ſex hebdomadarum obſervantiam praefixerunt*, *qui putant die quoque Sabbati jejunandum*. *Sex ergo in hebdomoda jejunia perſolvunt*, *qui eoſdem ſex*, *& triginta dies revolutos conſumant*. Adeòque Socrates diverſitatem iſtam ſibi fingit, ad hoc, ut ſuum firmet Dogma, obſervationem nempe jejunii Quadragèſimalis, tùm quò ad dies, tùm quò ad cibos eſſe merè voluntariam, & liberam, pendentemque à Fidelium arbitrio. Ubi poſteà addit: *Romani tres ante Paſcha ſeptimanas praeter Sabbatum*, *& Dominicam continuas jejunant*, eſt merùm illius commentum; quia pro Romanis, ultra Theleſphorum demandantem jejunium Clericis ſeptem hebdomadarum: *Statuimus*, *ut ſepetem hebdomodas plenas ante Sanctum Paſcha omnes Clerici in ſortem Domini vocati à Carne jejunent*; altumque de hac re ſilentium apud laudatum Theonam, ſcribentem temporibus Socratis, reſtringentemque diverſitatem dierum à ſex in ſeptem hebdomadas, nulla facta menſione trium hebdomadarum jejunii apud Romanos. Stat itidem S. Leo Magnus (qui ut Pontifex Romanus magis callebat Latinorum Conſuetudine, quam qui ex promontoriis Conſtantinopolita-

Theon. apud Caſſian.

Theleſph. Ep. 1. ad omnes Epiſc.

lita-

litanis non poterat aſpicere Socrates), dicens: *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum adimpleatur.* Firmantque omnes quatuor Latinae Eccleſiae Doctores, quibus non videtur anteponendus Socrates: *In iſtis quadradinta diebus,* inquit Auguſtinus, *quaſi totius anni Cibaria jejunando animae noſtrae providere debemus.* Et Hierònymus: *Ipſe Dominus,* inquit, *verus Jonas ad praedicationem Mundi miſſus, jejunat quadraginta dies, & haereditatem nobis jejunii relinquens, ad eſum corporis ſui ſub hoc numero animas noſtras praeparat.* Similitèr Gregorius ait: *Quadragènarius numerus ad peccatores pertinet. Undè Quadragèſimae tempus in Sanctam Eccleſiam eodem dierum numero conſecratum eſt.* Quibus adde Ambroſium, dicentem: *Sacrarum literarum exempla praetulimus, quibus approbaremus quadragènarium hunc numerum non eſſe ab hominibus conſtitutum, ſed Divinitùs conſecratum, nec terrena cogitatione inventum, ſed Coeleſti Majeſtate praeceptum.* Undè, quocumquè ſe vertit Socrates ſemper de mendacio, & falſitate evincitur. Et quicquid dicit in dicto capite, nullatenùs in veritate radicatur, etiam in illis verbis, ubi addit: *Subdit autem mihi admiratio, quomodo iſti circa dierum numerum diſcrepantes eandem Quadragèſimam vocant.* Nàm ultraquam quòd, non comprobatur diſcrepantia Fidelium circa dierum numerum, niſi ex triginta ſex ad quadraginta dies, ut mox dicebamus. Quadragèſimam abſolutè vocari Dominicam primam illius, quia ab illo die, uſque ad Paſcha Hebraeorum, quòd erat dies Jovis Sancti, quadraginta dies decurrebant: *Quadragèſima,* inquit Ordo Romanus (ab incerto Authore temporibus Stefani Pa-

S. Leo ſerm. 6. de Quadrag.

S. Augu. ſerm. 55. de Tempor. ſivè fer. 4. in cap. jejunii.

S. Hier. in cap. 3. Jonae.

S. Greg. in lib. 1. Reg. cap. 4.

S. Ambroſ. ſerm. 36.

Ordo Romanus. Papae, & Caroli Magni compoſitus), *etiam in Dominica ſua currit, ad miſticum Paſcha Hebraeorum, quòd Dominus noſter cùm Diſcipulis ſuis celebravit*. Sicque tranſiit ſimilitudo ad Chriſtianos, quia in prima die Quadragèſimae uſque ad Paſcha, non quadraginta, ſed triginta ſex dies computant. Vèl vocatur Quadragèſima iſta dierum diverſitas ab ipſo Chriſti Domini jejunio per quadraginta dies protelato, ſicuti illud poterat Socrates à ſupradicto Abbate Theona ediſcere, qui hanc eandem enucleans difficultatem, Germano Monacho,

Theon. ubi ſup. cap. 28. dicebat: *Sed profectò, cùm rationem hujus rei humana obliteraſſet injuria, tempus hoc, quò anniverſariae, ut dictum eſt, decimae duo triginta, & ſex ſemis jejuniis offeruntur. Quadragèſimae nomen accepit, quòd fortaſsè, vèl propter hoc viſum ſit hoc vocabulo debère cenſeri, quòd Moyſes, vèl ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus quadraginta dies jejunaſſe traduntur*. Niſi etiam velimus dicere illos, qui triginta ſex dies jejunabant, vocaſſe id abſtinentiae tempus *Quadragèſimam* ob completum numerum, & paritatem dierum. Sicuti in ſimilibus habemus, quòd Hebraei, qui Scripturam Sacram in Graecum verterunt temporibus Ptolomaei Philadelphi, fuerunt ſeptuaginta duo, & tamen ob numeri paritatem communitèr dicuntur Septuaginta Interpretes: *Duo, & ſeptuaginta*, inquit Nicolaus Serarius, *miſſi fuere, & duodecim ſcilicet Tribubus ſinguli ſeni. Quemadmodùm tamen brevitatis gratia vocati apud Romanos centum viri, qui omnes erant centum quinque, ſic etiam iſti paſſim ſeptuaginta dicuntur, ut & ſeptuaginta Chriſti Diſcipuli.*

XLI. Quibus ſic ſtantibus prò plenâ Quadragèſimae,

ſimae, & jejuniorum notitiâ, qualis ſit Socratis ſententia, quantique ponderis illius authoritas in praeſenti, ubi agitur de haereſi per ipſum ſecuta, qui emunctae naris eſt ad ſufficientiam olfacere poteſt; nàm ultraquam quòd Apoſtolus Jacobus docet: *Qui in uno offendit, omnium reus eſt.* Ut communitèr aſſerunt Doctores, ubi agitur de hiſtoriâ humanâ (ſivè Eccleſiaſtica, ſivè Profanâ) in illorum Authoribus obſervandum in primis venit, an ſint fide digni in ſuis narrationibus, vèl nè; quia multotiès accidit, quòd aliqui eorum in vitium prolapſi, poſtea ſcribendo Hiſtorias, ſuos errores defendere, eoſque in illis adnectere ſtudent: Quòd de Euſebio in rebus Arianiſmo ſpectantibus, nominatim advertunt, & de Socrate, ac de Sozomeno circa concernentia Novatum, & Aerium, de quorum erroribus fuerunt imbuti. Undè perpulchrè Baronius: *Non parùm*, inquit, *certè intereſſe in veritate hiſtorica diſquirenda Authorum, qui res geſtas ſcripſerunt, quò vixerunt tempore, cujuſnam fuerunt Eruditionis, atque aextimationis rationem habere, potiſſimumque, ſi hujuſmodi Scriptores rerum perſpectarum, ac eorum aetate editarum, ſi pietatem, & virtutem cùm doctrina, & veritate conjunxerint, ut plenè digni ſint, quibus fides integra habeatur, ſoli ſint, quibus caeteri aſſentiantur; ſoli denique ſint, quibus reliqui, quae ſciverint, vèl ſcripſerint, tanquam ab ipſis accepta referant.* Igitur, cùm Socrates, ut vidimus, haereticali, atque mendacii, ſivè erroris nota, quaſi ab omnibus ſignetur, tàm in his, quae ex Novato dicit contra obſervantiam Feſtorum, & ex Aerio contra jejunium, ſeù Ciborum delectum, quam in illis, quae di-

Jacob. Epiſt. Cath. cap. 2. verſ.10.

Baron. ad ann. Chr.34. n.177.

di-

diſcrepantia dierum Quadragèſimae, ac Sabbati Romanorum hiſtoricè narrat *Diſſertatio Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis*, quae in Socratis Authoritate fundatur, ad hoc ut demonſtret in Antepaſchali jejunio apud quoſdam Chriſti-fideles viguiſſe conſuetudinem comedendi Aves cùm Piſcibus, parùm, aùt nihil probat id, quòd probandum aſſumit. Alitèr enim ſi ſtandum eſſet ſententiae Socratis in Materiâ jejunii, ubi ipſe complex transſgreſſionis evincitur, poſſet nobis dicere Eloquentiae Magiſter: *Videte nunc quam verſa, & mutata in pejorem partem ſunt omnia. Cùm de bonis, & de cede agatur, teſtimonium dicturus eſt is, qui ſector eſt, & Sicarius.*

Cicer. in Orat. pro Roſc. Amat.

XLII. At etiam gratis admiſſo (aſſeverantèrque negato) Socratem fuiſſe omni exceptione majorem, ab omnique ſuſpicionis labe purgatum; ipſe nihilominùs tantam ad ſummum poteſt ſibi fidem vindicare, quantam ejus narrationis veritas merètur, dicente Auguſtino: *Alios ita lego, ut quantalibet Sanctitate, Doctrinaque praepolleant, non ideò verum putem, quia ita ſenſerunt ipſi, ſed quia mihi vèl per Authores Canonicos, vèl probabili ratione, quòd à vero non abberrant, perſuadere potuerunt*; maximè quia, juxtà Hierònymum, etiam improbi Scriptores in eo, quòd verum dicunt, ſunt amplectendi: *Origènem propter Eruditionem*, inquit, *ſic legendum arbitror, & Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos Scriptores, Graecos paritèr, & Latinos, ut eorum bona eligamus, & contraria vitemus, juxtà Apoſtolum: Omnia probate, quòd bonum eſt tenete. Qui autem vèl in amorem ejus nimium, vèl in odium ſtomachi ſui pravi-*

S. Augu. Epiſt. 19. ad Hieron.

S. Hieron. in Epiſt. ad Triquil.

pravitate ducantur, mihi videntur maledicto Prophetae ſubjacère. Vè his, qui dicunt bonum malum, qui faciunt amarum dulce, dulce amarum; non enim propter doctrinam prava ſuſcipienda ſunt Dogmata, nec propter Dogmatum pravitatem, ſi quos Commentarios in Scripturas Sanctas utiles edidit reſpuendi ſunt. Quid autem ipſe Socrates tandem dicat pro praeſenti difficultate audiamus: *Invenias, qui non tantùm in numero dierum diſcrepant, ſed qui nec abſtinentiam à Cibis eandem obſervant. Alii prorſus animatis abſtinent, alii Animatorum Piſces ſolos ſumunt. Quidam praeter hos etiam Avibus veſcuntur, eas itidem ex aqua genitas dicentes juxtà Moyſen. Alii nucibus, atque Ovis abſtinent. Nonnulli ſolo pane ſicco utuntur, quidam ne iſto quidem. Alii ad nonam jejunantes, variis ciborum generibus utuntur. Alitèr apud alias gentes fit; & talium innumerè extant cauſae, &c.* Haec Socrates laudatus ab ipſo Authore *Diſſertationis*.

Socrates lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap 23.

XLIV. Sed in primis prò noſtrâ aſſertione corroborandâ non probari ab Authore *Diſſertationis* id, quòd probandum aſſumitur, huic ſententiae Socratis inpromptu adeſt reſponſio; illam eſſe falſam, & inſubſiſtentem, non ſolùm quia favet Haereſi Aetianorum, aliorumque aſſerentium, poſſe comedi Carnes in Quadragèſimâ, (quorum fuerat coinquinatus ipſe Socrates, ut modò dicebamus) ſed etiam quia eſt ſingularis, & apud ipſum tantummodò regiſtrata; quando apud alios illius aevi Scriptores altum de hac re habemus ſilentium, praecipuè apud Epiphanium, & Caſſianum, qui minutatim Fidelium Conſuetudines, ſignantèr in Materiâ jejunii deſcribunt. Neque

ipſe explicat, qui, ubi, & quando Fideles manducaverunt Aves in Quadrageſimâ, ut ex hujuſmodi circumſtantiis poſſet magis veritas dignoſci. Adeòque poſſumus cùm Lyrinenſi de ipſo Socrate

Lyrin. cap. 36. dicere: *Quidquid, quamvis ille Sanctus, & Epiſcopus, quamvis Confeſſor, & Martyr praeter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas à communis, & publicae, ac generalis ſententiae authoritate ſecretum ſit, ne cùm ſummo aeternae ſalutis periculo Univerſalis Dogmatis, antiqua veritate dimiſſa, unius hominis novitatum ſectemur errorem.* Deindè ſi velimus Socratem ab hac labe purgatum, juxtà Facundi Hermianenſis monitum:

Facund. Hermia. lib. 9. de Trib. capit. 5. *Quemadmodum calumniantium Haereticorum eſt ex dubiis, & obſcuris, quae certa, & manifeſta ſunt malè interpretari, ita ſolitum eſt prudentiae, ac pietatis Catholicae ex indubitatis, atque evidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare. Ideòque meliùs facimus, ſi virorum doctiſſimorum in pace Eccleſiae mortem abeuntium ſcripta meliùs interpretemur.*

XLV. Reſpondetur ſecundo, Socratem in citato loco tantùm referre diverſitatem errorum, quae circa Ciborum delectum pro illo tunc in Catholichiſmo vigebat, non autem hujuſmodi varietatem adducere, ad hoc ut illam in Eccleſiâ laudet: Sicuti ex eo, quòd in Sacrâ Scripturâ narratur Adulterium David, Idolatria Roboam, Amores Salomonis, Tyrannides Antiochi, Ambitio Datan, Vitulus aureus in Deſerto à filiis Iſraël veneratus, & ſi quae ſunt hujus generis, non per hoc poteſt inferri, ſcripturam approbare Adulterium, Idolatriam, Fornicationes, Tyrannidem,

Ambi-

Ambitionem , Cultum profanum , & hujuſmodi; quia ibi quid geſtum ſit tantummodò narratur, & non aliter. Sicque ubi Socrates aſſerit, in primitivâ Eccleſiâ quoſdam Chriſti-fideles comediſſe Aves in Antepaſchali jejunio, quoſdam nec etiam panem, &c. Ex eo non poteſt deſumi certa regula, quòd Aves in primitivâ Eccleſiâ ſinè Conſcientiae ſcrupulo poterant comedi diebus Quadragèſimae, ſed ſolùm poteſt haberi cognitio illorum errorum, qui veluti infectâ graminâ Evangelicae Doctrinae ſemen ſuffocare tentabant: Uti de facto erant falſae opiniones Nicolaitarum, Valentiniarum, Jovinianorum, & Aerianorum,ut ſupra. Supr. num. 14.
Sicuti in defenſionem Origènis docuit Athanaſius, dicens: *Diſputandi, certandique gratia ſcripſit ea, non quaſi ipſius ſint verba, aùt quaſi ipſe ita ſenſerit; ſed eorum, qui cùm eo contentioſius diſputarent.* Quòd patet in primis ex titulo, quem ipſe huic capiti 22. per haec verba imponit: *De illis qui diſcrepantèr quibuſdam in locis de Paſchate, de Baptiſmatibus, jejuniis, Nuptiis, & ſynaxi, reliquiſque Eccleſiaſticis obſervationibus decreverunt.* Ubi particula illa *diſcrepantèr*, ſatis dat intelligi, ipſum loqui tantummodò de abuſibus, & corruptelis in Eccleſiâ Dei pedetentim introductis. Deindè hoc idem deducitur ex conſuetudine Aſianorum comedentium Paſcha die quartadecimâ Lunae Martii; quam non poterat afferre, ut eam laudaret, quia jam poſt Victorem Papam fuerat damnata in magnâ Nicoenâ Synodo de anno 325., antequam ipſe lucem ſalutaſſet; ſed ſolùm ob finem pertexendi errores circa tempus celebrandi Paſcha; niſi vellet, & ipſe inter Quartadecimanos annumerari. Itidem,

S. Athan. in lib. de decret. Nicoen. Syn.

Socrat. loc. cit.

dem, hoc idem evincitur ex narratione, quam extendit circa diverſitatem dierum, quibus jejunabatur in Quadragèſimâ, dicendo: *Quo circa intempeſtivum non fuerit pauca de ritibus Eccleſiae adjicere, jejunia ante Paſcha invenire eſt alitèr ab aliis cuſtodiri .... ſubdit autem mihi admiratio quomodo iſti circa dierum numerum diſcrepantes eandem Quadragèſimam vocent, & appellationis hujus alius aliam rationem aſſignet*. Ubi vides, non approbando, ſed improbando hanc diverſitatem adducere. Idem paritèr dicendum eſt ipſum ſenſiſſe de varietate Ciborum in Quadragèſimâ, ſicuti Iraeneus enarrans hanc eandem diverſitatem jejuniorum (licèt iſte Doctor de jejuniis extra Quadragèſimam loquatur, ut fuſius in ſuis Controverſiis oſtendit Bellarminus) ſcriptum reliquit: *Caepit haec diverſitas ab illis, (ut opinor), qui non ſimplicitèr, quòd ab initio traditum eſt, tenentes in alium morem, vèl per negligentiam, vèl per imperitiam poſtmodum deciderunt.*

Bellarm. tom. 3. lib. 2. cap. 14. Iraeneus apud Euſeb. lib. 5. Hiſtor. cap. 26.

Tandem, hoc idem ſuadetur ex congruâ ratione; nàm cùm pro illo tunc adfuiſſet lex jejunii, ut ſupra, & totius Eccleſiae conſuetudo non manducandi Aves, & Carnes in Quadragèſimâ, congruum ei non videbatur laudare mores paucorum abberrantium à communi aliorum tramite. Cùm quicquid contra Eccleſiae conſenſum attentetur, vitium potiùs, & corruptela debeat dici, quam virtus, aùt laudabilis uſus. Siquidem, ut dicebat Auguſtinus: *Inſolentiſſimae inſaniae eſt contra id, quòd Univerſa tenet Eccleſia diſputare*. Immò facit ad hoc, quòd Apoſtolus ſcripſit ad Corinthios, qui poſt quam eos docuiſſet, ut mulieres, non niſi velato Capite, viri è contra Capite aper-

Supra nu. 35.

to Deum in Eccleſiis praecarentur, ſubdit: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*: Ubi Paulus videtur inſinuare, conſuetudini Eccleſiae potiùs ſtandum, quam quibuſvis aliis contrariis uſibus; ſed de hac Conſuetudine nos fuſiùs infra. Corinth. 11. verſ. 18. Infra num. 60.

XLVI. Tertiò dicimus, Socratem in citato loco poſſe intelligi de aliis jejuniis extra Quadragèſimam (ſicuti ſupra loquebatur Irenaeus) cùm ipſe nullam ibi facit menſionem de Antepaſchali jejunio (licèt antea de illo ſermonem habuiſſet circa dies, & hebdomadas) aſſerens tantummodò: *Jejunare autem liquet, non modo circa numerum dierum diſſentiones, ſed & non eandem ciborum abſtinentiam retinentes*. Quando de diverſitate dierum ipſe praemiſerat: *Jejunia ante Paſcha invenire eſt alitèr ab alio cuſtodiri*. Poſteaque ſubdit: *Quomodo iſti circa dierum numerum diſcrepantes, eandem Quadragèſimam vocant, &c.* Maximè quia ipſe addit: *Alii ad Nonam jejunantes, variis ciborum generibus utuntur*. Quando jejunium Nonae fit in aliis diebus extra Quadragèſimam, ut mox explicabimus, & illa *ſemijejunia* vocabat Tertullianus. Sicque in tali caſu *Diſſertatio* Authoris praedicti non ſolùm non probat id, quòd probandum aſſumit, nempè in Antepaſchali jejunio viguiſſe conſuetudinem comedendi Aves apud quoſdam Chriſti-fideles, ſed nec etiam ullum adminiculum poſſet ex eo in illius favorem derivari, quia reliqua jejunia extra Quadragèſimam, & ſi velimus ea ab Apoſtolis fuiſſe tradita, non ſecùs ac illud Quadragèſimale, nihilominùs non sùb praecepto obſervanda, ſicuti illa Quadragèſimae Fidelibus demanda-

mandarunt, ſed sùb ipſorum arbitrio ea reliquerunt, uti oſtendunt Sancti Patres, praecipuè Hieronymus, dicens: *Nos unam Quadragèſimam ſecundum traditionem Apoſtolicam tempore congruo jejunamus, non quòd & per totum annum, excepta Pentecoſte jejunare non licet, ſed quòd aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre*. Et Divus Auguſtinus: *Aliis diebus jejunare*, inquit, *aùt remedium eſt, aùt praemium; in Quadragèſima non jejunare peccatum eſt*. Undè ſi eſt praemium tandummodò jejunare extra Quadragèſimam, patet ſinè dubio, quòd Apoſtoli etiam ſi ipſi talia inſtituiſſent jejunia, abſolutè tamen, & sùb praecepto illa obſervanda Fidelibus non tradiderunt: Quòd etiam ex aliis Patribus noviſſimè oſtendit Bellarminus in ſuis Commentariis, dicens: *Exiſtunt autem de jejunio tertiae, quartae, & ſextae Feriae queſtiones duae, prior eſt, ſit nè hoc jejunium lege ſancitum, an potiùs in arbitrio Fidelium poſitum?* Et poſtquam retuliſſet oppoſitam ſententiam, addit: *Contra autem Tertullianus in libro de jejunio refert Catholicos dicentes, jejunium quartae, & ſextae Feriae paſſivè currere non sùb lege praecepti, id eſt permitti, non imperari. Item S. Auguſtinus in Epiſtola 86. ſcribit Romae frequentèr jejunari feria quarta, & ſexta, & Sabbato. Vbi cùm dicit frequentèr, indicat non ſemper id fieri. Sic etiam Iſidorus libro 1. de officio Divin. cap. 42. cùm ſcribit, nonnullos feria ſexta per totum annum jejunare, apertè ſignificat id non ab omnibus fieri, &c.* Undè ex eo quòd ab eorum pendebant voluntate hujuſmodi jejunia, forſitan Chriſti-fideles quoad Ciborum delectum poterant illa variare; dicente ad nimis eleganter Petavio ex

S Hieron. Ep. ad Marc. adverſ. err. Montani.

S. Augu. ſerm. 62. de Temp.

Bellarm. to. 4. lib. 2. cap. 17.

ſen-

ſententiâ Epiphanii : *Duplex jejuniorum genus apud antiquos fuit. Nàm alind exquiſitiùs erat, quòd longius, hoc eſt ad Veſperam uſque protrahebatur, uti Quadragèſimale jejunium. Epiphanius enim infra eodem iſto numero, ſynaxes Quadragèſimales ab hora nona, ad veſperam uſque celebrari docet; ante quas Synnaxes jejunia minimè ſolvebantur. Aliud erat paulò remiſſius, ac brevius quo ad nonam dumtaxat produceretur, cujuſmodi feriae quartae, & ſextae jejunium extitiſſe idem Epiphanius aſſerit.* Ad quorum jejuniorum numerum poſſunt etiam addi ea, quae prò Monachis taxantur in Concilio Turonenſi II. his verbis: *De jejuniis verò antiqua à Monachis inſtituta ſerventur, ut de Paſchate, uſque ad Quinquagèſimam (exceptis Rogationibus) omni die Fratribus prandium praeparetur. Poſt quinquagèſimam tota hebdomada exactè jejunent. Poſtea uſque ad Kalendas Auguſti ter in ſeptimana jejunent, ſecunda, & quarta, & ſexta die, exceptis his, qui in aliqua infirmitate conſtricti ſunt. In Auguſto quia quotidie miſſae Sanctorum ſunt, prandium habeant. In Septembri toto, & Novembri (ſicuti priùs dictum eſt) ter in ſeptimana. De Decembri uſque ad Natalem Domini, & Epiphaniam, omni die feſtivitates ſunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud, quòd ad calcandam Gentium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt privatas in Kalendas Januarii fieri Litanias, ut in Eccleſia pſallatur, & hora octava in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſae (Deo propitio) celebretur. Poſt Epiphaniam verò uſque ad Quadragèſimam, ter in ſeptimana jejunent.* Quòd etiam poteſt confirmari ex Regula S. Benedicti, qui deſcribens tempus commeſtionis in diebus jejunii quartae, & ſextae feriae (po-

Petav. in not. ad S. Epiph. in Expoſ. fidei n. 22. fol. mihi 357.

Concil. Turon. 2. Can. 13.

(poſitum etiam in arbitrio Superioris, tùm quò ad horam, tùm quò ad ſui obſervantiam) mandat Monachis: *A Sancto Paſcha, uſque ad Pentecoſtem ad ſextam reficiantur Fratres, & ad Seram caenant. A Pentecoſte autem tota aextate ſi labores agrorum non habent Monachi, aùt nimietas aextatis non perturbet, quarta, & ſexta Feria jejunent uſque ad nonam, reliquis verò diebus ad ſextam prandeant: Quae prandii ſexta, ſi opera in agris habuerint, aùt aeſtatis fervor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis ſit providentia. Et ſic omnia temperet, atque diſponat, qualitèr animae ſalventur, & quòd faciunt Fratres, abſque ulla murmuratione faciant. Ab Idibus autem Septembris, uſque ad caput Quadragèſimae ad nonam ſemper reficiantur Fratres. In Quadragèſima verò uſque ad Paſcha ad Veſperam reficiantur Fratres.*

S. Bened. in cap. 41. Regulae.

XLVII. Stante igitur diverſitate reliquorum jejuniorum ab illis Quadragèſimae, in quibus ad Nonam reficitur (ad differentiam Quadragèſimae, quando prandium ſumitur poſt Veſperam; ideòque Veſperae caelebrantur ante comeſtionem) ubi Socrates dicit, apud quoſdam Chriſti-fideles fuiſſe in uſum tempore jejunii comedere Volatilia, intelligi poteſt de illis jejuniis extra Quadragèſimam, quae cùm penderent ex fidelium arbitrio, poterat in his admitti Conſuetudo comedendi Aves; ſicuti hiſce etiam temporibus apud quoſdam viget conſuetudo comedendi Ova, & Lacticinia in reliquis diebus jejunii, quae tamen prohibentur in Quadragèſimâ, non ſolùm ex damnatione illius propoſitionis ab Alexandro VII. decreta: *Non eſt evidens, quòd Conſuetudo non comedendi Ova, & Lacticinia in Quadragèſima obliget.*

Propoſit. 32. damn. ab Alex. VII. die 18. Martii 1666.

Sed

Sed etiam ex Quini-ſexta Synodo, dicente: *Viſum eſt ergo, ut omnis Dei Eccleſia, quae eſt in Univerſo terrarum Orbe, unum Ordinem ſequens, jejunium* (Quadragèſimale) *perficiat, & abſtineat ſicut ab omni mactabili, ſic & ab Ovis, & Caſeo, &c.* Quibus omnibus videtur adſtipulari Theologorum Magiſter D. Thomas, aſſignans diverſitatis rationem, aſſerendo: *Similitèr etiam inter alia jejunia ſolemniùs eſt Quadragèſimale jejunium, tùm quia obſervatur ad imitationem Chriſti Domini; tùm etiam quia per ipſum diſponimur ad Reſurrectionis noſtrae Myſteria devotè celebranda, & ideò in quolibet jejunio interdicitur eſus Carnium; in jejunio autem Quadragèſimae interdicuntur Univerſalitèr etiam Ova, & Lacticinia, circa quorum abſtinentiam in aliis jejuniis diverſae conſuetudines exiſtunt apud diverſos, quas quiſque obſervare debet ſecundùm morem eorum, inter quos converſatur: Undè Hierònymus dicit, de jejuniis loquens: Unaqueque Provincia abundet in ſuo ſenſu, & praecepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.* Ad quae jejunia videtur etiam alludere Auguſtinus, dùm ait: *Faciat ergo quiſque, quòd in ea Eccleſia, in quà venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aùt contra mores, vèl emendari oportet, quòd perperam fiebat; vel inſtitui, quòd non fiebat.* Et alibi: *Catholica*, inquit, *Eccleſia per Orbem terrarum diffuſa, tribus modis probatur exiſtere. Quidquid enim in ea tenetur, aùt Authoritas eſt Scripturarum, aùt Traditio Univerſalis, aùt certè propria, & particularis inſtitutio. Sed Authoritate Scripturarum tota conſtringitur: Traditione majorum nihilominus tota: Privatis verò Conſtitutionibus, & propriis informationibus, unaquaeque*

Concil. Trullan. can. 56.

S. Thom. 2. 2. q. 147. artic. 8. ad 3.

S. Aug. Ep 54.

Idem Ep. 118. cap. 1., & 2.

L pro

prò locorum varietate, proùt unicuìque viſum eſt ſubſiſtit, & regitur. Sicque, ſi ſermo Socratis eſt de jejuniis extra Quadragèſimam, ex eo *Diſſertationis* Author non probat id, quòd probandum aſſumit, ubi ipſe loquitur de tempore Quadragèſimae.

XLVIII. Quartò tandem (& forſitan meliùs) reſpondetur, Socratem ibi loqui non de Ciborum delectu in Antepaſchali jejunio, ſed de variis Religioſorum inſtitutis in aliis diebus extrà Quadragèſimam: Quòd non facit ad caſum; nàm Catholica Eccleſia, circum-amicta varietate, oculo indifferenti, & in offenſo hanc intuetur diverſitatem in filios ſuos. Exempli cauſa, Jeſuitae per totam hebdomadam, exceptis diebus Veneris, & Sabbati, juxtà ipſiuſmet Eccleſiae permiſſionem, veſcuntur Carnibus, Ovis, & Lacticiniis. Monachis autem militantibus sùb Regulâ S.Benedicti, praecìpuè Ciſtercienſibus, ter in hebdomada, & ſemel in die indulgetur uſus Carnium. Patres Carthuſiani nunquam Carnibus, benè tamen Ovis, & Lacticiniis utuntur. Minimi autem S.Franciſci de Paula, ultra Carnes, etiam ab Ovis, & Lacticiniis ſe abſtinent: Cibis Quadragèſimalibus tantummodò contenti. Patres autem Ciſtercienſes *de la Trappa*, licèt non utantur Carnibus, Ovis, ac Piſcibus; habent tamen in uſum Lactem Oleribus, leguminibuſque permixtum. Et ſic de aliis nonnullis. Ex hac autem ciborum diverſitate inter Monachos uſitata non valet inferri, quoſdam in Antepaſchali jejunio veſci Carnibus, alios Piſcibus, nonnullos Ovis, reliquos Lacticiniis; nàm in Quadragèſimâ, ſivè Jeſuitae, ſivè Benedictini,

ctini, ſivè Carthuſiani, ſivè Minoritae, ſivè Trappenſes, omnes ab Ovis, Carnibus, & Lacticiniis ſe abſtinent, ſervantque in Ciborum delectu eandem qualitatem, quam tenent reliqui Chriſti-fideles. Adeòque ex eo, quòd Socrates ibi recenſet, diverſitatem Ciborum ab aliquibus Monachis fuiſſe ſervatam, non poteſt deducere Author *Diſſertationis*, in Antepaſchali jejunio vigiſſe Conſuetudinem comedendi Aves, unà cùm Piſcibus, quia Sermo Socratis reſpicit non tempora Quadragèſimae, ſed varia Monachorum inſtituta: Adeòque non probat id, quòd probandum aſſumit.

XLIX. Hunc autem pro illo tempore fuiſſe Socratis ſcopum, conjecturatur non ſolùm ex eo, quòd ipſe nullam facit menſionem de Quadragèſimâ, ubi agit de hujuſmodi diverſitate ciborum; ſed potiſſimum àdminiculatur ex verbis, quae Socrates videtur ſibi commodaſſe ab Epiphanio (qui juxtà laudatum *Diſſertationis* Authorem vixit ad annum 368., Socrates verò ad annum 439., adeòque 71., annos poſt Epiphanium). Quòd videtur patefacere Titulus, quam Socrates appoſuit huic capiti, dicendo: *De illis, qui diſcrepantèr quibuſdam in locis de Paſchate, de Baptiſmatibus, jejuniis, Nuptiis, & Synaxi, reliquiſque Eccleſiaſticis obſervationibus decreverunt*. De quibus omnibus tractat Epiphanius in libro de Fidei Expoſitione, uti legenti patebit. Et confirmant ſimilia verba apud eundem Epiphanium in hunc modum regiſtrata: *Sunt & alia in Eccleſia Catholica inſtituta, & vivendi praeſtantia, nimirùm quòd alii Carnibus prorsùs abſtineant, tàm quadrupedum, & Avium, quam Piſcium, necnon Ovis, & Caſeo .... Alii etiam*

Socrat. lib. 5. cap. 22.

S. Epiph. in Fidei Expoſit. num. 22.

ab Avibus temperant, *Ova*, *& Piſces adhibent*: *Alii* Infr. num. 54. *etiam Ova repudiant*, *&c.* Ut infra magis fuſiùs. Atqui Epiphanius ibi loquitur de variis Monachorum inſtitutis, ei Chriſtianorum vivendi formulis, non autem de Cibis in Quadragèſimâ adhibitis, ut mox paulò accuratiùs ſcrutabimur. Igitur, & de ipſis inſtitutis etiam loquitur Socrates; non autem de Antepaſchali jejunio. Unde deſtructa ex omni parte authoritate Socratis, ubi fundatur *Diſſertatio*, quae à nobis impugnatur, neceſſe eſt, ut ipſa *Diſſertatio* corruat, & non probetur in illâ id, quòd probandum aſſumitur.

L. Veritatem hanc ex parte cognovit ipſe Author *Diſſertationis*, dùm diffidens de narrativâ Socratis, quem unicum ſibi Propugnatorem, & Anteſignanum in Titulo ſelegerat: (*Quam memorat Socrates lib.V. ſuae hiſtoriae cap.22.*), nulla de reliquis aliis Hiſtoricis facta menſione, poſtea à nonnullis aliis opem pro corroboratione ſui Thematis implorare viſus eſt, praecipuè ex Nicephoro Calliſto, cujus authoritatem ipſemet fatetur à Socrate deſumptam, cùm addat: *Idem ex Socrate pauciſſimis immutatis memoriae prodiit Nicephorus Calliſtus Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap.* 34. Ubi verba ipſa palam faciunt noſtrum Aſſertum, cùm Nicephorus dicat: *Non ſolùm verò circa dierum quantitatem diſſident*, *ſed circa ciborum qualitatem*, *& de admiſſione*, *& abſtinentia multùm diſcrepant*. *Quidam enim animata prorſus non attingunt*, *alii attingunt*, *ſed Piſces tantùm*. *Sunt qui ex animatis cùm Piſcibus Volatilia quoque deguſtant*, *ex aquis ea quoque progenita eſſe dicentes*, *ut inquit Moyſes*: *Nonnulli ab Ovis abſtinent*: *Alii arborum fructibus veſcuntur*.

Niceph. Calliſt. lib. 12. Eccleſ. Hiſtor. capit. 34.

tur. Quidam panem ſiccum tantùm comedunt: Quidam verò nc hunc quidem attingunt . Sicque ejus authoritas non aliam ſibi vindicat Fidem, quam illam, quae traditur Hiſtoriae Socratis, è cujus fonte hic rivus emanavit, cùm juxtà Bernardum: *Nec de turbido fonte limpidus emanat rivus, nec de ſordida mente munda cogitatio*. Et cùm Socrates non mereatur attendi ex ſupradictis rationibus, nec etiam animum adjungere, expedit ad ea, quae fabulatur, Nicephorus à Socrate deceptus, qui debebat dicere ipſi Nicephoro id, quòd legentibus opera ſua repetebat Auguſtinus: *Neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non errare perſpexerit*. Maximè quia Nicephorus narrat ea, quae ſua tempora tranſcendebant, cùm ipſe vixiſſet, ex eodem Authore *Diſſertationis* ad annum 1333.; quando inter Hiſtoricos illi ſunt ſpecialitèr attendendi, qui geſta ſuorum temporum ſcripſerunt, non autem, qui ab aliis narrata emendicarunt. Cùm propriùm Hiſtoriae ſit inſtitutum ea recenſere, quae acciderunt illis temporibus, quibus advixit ejus Author, ut aſſerit Iſidorus, dicens: *Hiſtoria eſt narratio eorum temporum, quae videmus*. Et alibi: *Apud veteres*, inquit, *nemo ſcribebat Hiſtoriam, niſi is, qui interfuiſſet, & ea quae ſcribenda eſſent, vidiſſet*. Undè Baronius cauſam ediſſerens, cùr Annales ſua opera inſcripſiſſet, inquit: *Cur potiùs Annales Eccleſiaſticos, quam Hiſtoriam hujuſmodi lucubrationes noſtras maluimus nuncupare, hanc afferimus rationem, eo nempè diſcrimine veteres ab Hiſtoria Annales diſtinxerunt, quòd illa propriè res ſuorum temporum geſtas, quas Author, vèl vidit, vèl potuit videre, pertractat, ne-*

S. Bernard. Epiſt. 254.

S. Auguſt. lib. de bon. perſever. cap. 21.

Iſidor de Origin. lib. 1. c. 43.

Baron. in Praef. ſuorum Annal. Eccleſ.

que tantùm, quòd geſtum ſit, ſed & quà ratione, quovè conſilio judicet. Annalium contra ſcriptor, res antiquas, ut plurimùm quas ſua non novit aetas, eaſdemque per annos ſingulos monumentis conſignat. Adeòque cùm eſus Avium in Antepaſchali jejunio viguiſſet in primitivâ Eccleſiâ, (juxtà Socratem) hanc non poterat Ocularitèr Nicephorus aſpicere, qui etiam variis erroribus ſuam conſperſit Hiſtoriam; dicente de illius operâ doctiſſimo Philippo Labbèo: *De erroribus Nicephori, conſule Poſſevinum..... Certè ejus Hiſtoriam non ſinè delectu, atque acri judicio legendum, monent Viri Eruditi, ut quae multas fabulas, quiſquiliaſque contineat, ex incertis, dubiaeque fidei Scriptoribus conquiſitas.*

Labbè de Script. Eccleſ. ad Niceph.

LI. Affert tertio loco pro hoc facto ſtabiliendo idem Author *Diſſertationis* Photium, dicendo: *Quibus non eſt extra rem addere, quòd extat apud Photium in Biblioth. Cod.* 107. *pag.*152. *edit. Graec. His enim refert Baſilìum quemdam Cilicem excuſare Joannem Scythopolitanum in opere adverſus ipſum edito, quòd cùm Sanctam Quadragèſimam tribus Hebdomadibus concluderet, ne in iis quidem eſum Volatilium abſtineret, &c.* At ut ingenuè fatear: Author in praeſenti non parùm mihi offenſionis obſundit, citando Photium pro hac re, & in ſuae *Diſſertationis* corroborationem illum in medium afferre; quando Photius (ab eo etiam appoſitè corruptus) videtur apertè contra eum militare; nàm ubi ipſe legit: *Baſilìum quendam Cilicem excuſare Joannem Scythopolitanum, &c.* Per verbum illud, *Excuſare*, non ſolùm poteſt ſugillari Baſilìus Cilix, tanquam qui excuſat excuſationes in peccatis (maximè quia, ut infrà advertit Petavius, ipſe Baſilìus Neſtoriano

Author Diſſ. fol. 12.

no claudicabat pede), ſed etiam ſatis oſtendit, adfuiſſe in Scythopolitanum, imputativè ſaltem, errorem de tali comeſtione Avium tempore Quadragèſimae, dùm dicit, quòd Baſilius Cilix excuſat Joannem; cùm nemo purgetur ab opere canonicè facto, ſed ab illo tantùm, quòd in ſe ipſo ſapit vitium. Excuſatio enim idem importat, ac purgationem, juxtà illud Ovidii:

Ergo ut defendi nullo mea poſſe colore,
Sic excuſari crimina poſſe puto. Ovid. Eleg. 8. lib. 1. Triſt.

LII. Et fortiùs rejicitur haec probatio à Photio deſumpta, quia non ſolùm dicit contraditionem in terminis, Joannem excuſari à Baſilio in libro contra ipſum edito (ſi enim Baſilius ex animo calamum arrepſit, ut illo Joannem transfigeret, ejuſque crimina oculis omnium patefaceret, non eſt cur illum excuſaſſet in comeſtione Avium tempore Quadragèſimae; quando hoc inconcuſſum poterat illius odio porrigere argumentum, ſcribendi contra ipſum, utpotè quia Avium comeſtio non Domino Jeſu Chriſto deſerviebat, ſed proprio ventri; eratque oppoſita eſſentiae, fini, ac legibus jejunii, ut ſupra), ſed etiam quia alitèr apud Photium hunc legimus locum, ac illum tranſcribit noſter Author: Haec autem ſunt verba Photii: *Lectus eſt liber Baſilii Presbyteri Cilicis adverſus Joannem Scythopolitanum, cui, & Cauſidici nomen, & alia ſexcenta impingit, ut in ſuſpicione Manichaeae Sectae veniſſe, Sacrum Quadragèſimae tempus ad tres hebdomadas revocaſſe, eiſdem nec ab Avium Carnibus abſtinuiſſe, ad Gentium Sacra acceſſiſſe, ut plurimum praetereà Ventris plus ſatis deditum, non abſoluto jam Sacro communicaſſe, ſed poſt* Phot. in opere Graecolat. edit. Rotomag. an. 1653, f. 282.

Evan-

Evangelium unà cùm pueris Myſteria ſumpſiſſe, ſtatimque ad menſas advolaſſe. Talia ferè toto libro ſparſa, ac diſſeminata petulantèr invitum alium jactat. Ubi animadvertè, Photium non ſolùm non dicere, Baſilium excuſare Joannem comedentem Aves in Antepaſchali jejunio (quam revera non poterat à culpâ purgare, quia contra ipſum impugnabat Stylum), ſed inſuper aſſerere, Baſilium contra Joannem impingere ſexcenta crimina, & talia petulantèr invitum alterum jactare. Adeòque in noſtro Authore *Abyſſus Abyſſum invocat*, quia ubi falſam ſuſcepit defendere ſententiam, falſi conatus eſt arguere Photium, & ex illo, ſic adulterato, adminiculum quaerere. Quando Auguſtinus monet, ut: *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus, quòd volumus, & quomodò volumus pro arbitrio noſtro, ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis Sanctis, tamquam de theſauris dominicis, & in illis à Domino appenſa recognoſcamus.*

S.Aug. lib.2. de Bapt.cap.6.

LIII. Et nè ei aliquòd pateat effugium, dicendo, alitèr alibi legiſſe (quando etiam interciſa afferet Photii verba, & ad ſuum libitum accommodata) evincitur ex ejus proprio contextu hujùſmodi falſificatio, ubi addit, talem locum laudari à Petavio: *Quem Photii locum* (ſunt ejus verba) *inclitae Societatis Jeſu fulgentiſſimum jubar Petavius laudat, fateturque: Miram quandam in Quadrageſimalis jejunii religione varietatem, apud Antiquos extitiſſe, neque minorem in ciborum delectu, abſtinentiaeque diverſitatem.* At ubi legi Petavium, non ſolùm inveni illum diverſimodè ſua texere verba ab eo ſenſu, in quò illa accommodat *Diſſertationis* Patronus, ſed loco *excuſare* legit Petavius,

Author Diſſ. fol.12.

vius, *objicit*, ut videre eſt in Operibus Graeco-Latinis S. Epiphanii Praelo mandatis de anno 1622. Pariſiis, eodem folio 360. à noſtro Authore citato; ubi ait: *Mira quaedam in Quadragèſimalis jejunii Religione varietas apud antiquos extitit, de qua Irenaeus apud Euſebium lib. 5. cap. 24., & Socrates libr. 5. cap. 22. Qui quidem inſignitèr aberrat, dùm Romae ſcribit tres dumtaxat hebdomadas ante Paſcha continuò jejunari, excepto Sabbato, & Dominica; quòd ſupra refutatum eſt. Subjicit deindè ſex ab aliis hebdomadas ante Paſcha, ab aliis ſeptem jejunio conſecrari. Alios quindecim ſolos dies per ſeptem hebdomadas diſpenſare, qui omnes ſuum illum dierum numerum Quadragèſimam appellant. Sanè apud Photium nu.* 107. *Baſilius Cilix Neſtorianus adverſus Joannem Scythopolitanum ſcribens* (*N. B.*) *objicit inter caetera, quòd cùm Sanctam Quadragèſimam tribus hebdomatibus concluderet, nec in iis quidem eſu Volatilium abſtineret. Fuit enim non minor in ciborum delectu, abſtinentiaeque diverſitas, de quà idem Socrates*. Ubi nota plura: Primùm nempè, Petavium diverſitatem ciborum referre ad Socratem, quam etiam taxat de allucinatione, atque errore. Et ſic ejus authoritas nihil ſuffragatur ipſi *Diſſertationis* Patrono, ſicuti non poteſt illi opitulari ſententia Socratis, ex quâ ſuam hauxit laudatus Petavius. Secundum, quòd animadverti debet ex Petavio eſt, quia ipſe non laudat Photii locum, ut ſuſpicatur Author *Diſſertationis*, ſed ſolùm refert crimen Joanni Scythopolitano à Baſilio Cilice tributum. Neque par erat illum laudibus extollere; quia, vèl eſſet ſermo de ipſo Baſilio Cilice, & iſte cùm fuiſſet Neſtorianus (ex eodem Petavio), non

Petav. in not. ad S. Epiph. tom. 1. fol. 360. num. 2.

merebatur commendari; vèl de Joanne Scythopolitano, & iſte alius cùm fuiſſet de Manichaeiſmo, & tot aliis criminibus circumſtipatus (juxtà ea, quae apud laudatum Photium dicebat mox ipſe Baſilius Cilix), nec etiam merebatur in praedicationem adduci à Petavio, & ab Authore *Diſſertationis* pro exemplo Fidelibus apponi in comeſtionem Avium in Antepaſchali jejunio; utpotè homo perditus, & tot ſceleribus conſperſus. Tertium, quòd peculialitèr notandum nobis porrigit Petavius eſt, illum dicere, quòd Baſilius Cilix inter caetera, *objicit* Joanni Scythopolitano, ipſum per tres hebdomadas concludere Quadragèſimam, & in illis ſe non abſtinere ab eſu Avium. Quando Author *Diſſertationis* vertit: *Baſilium Cilicem excuſare Joannem, &c.* Undè cùm inter *objicere*, & *excuſare* eadem intercedat diverſitas, quae reperitur inter lucem, & tenebras; inter vitium, & virtutem; inter odium, & amorem; poſſumus hic concludere, quòd Author *Diſſertationis* ubi agnovit ſe non poſſe probare id, quòd probandum aſſumpſit, (Aves nempè fuiſſe in uſu apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali jejunio) voluit ex mutatione locorum ſuffragia expoſtulare. Quando legalitas, ac honeſtas, decor, & Scribentium ratio haec omnia penitùs prae Stomacho abhorrent; quia ſi falſum à ſe ipſo proferre teſtimonium, eſt omninò à lege Divinâ prohibitum, aliena falſificare, ut falſum quis ſuum ſuffulgeat errorem, debet totalitèr à veritatis confiniis eliminari, ne ignorantes Sanctorum Patrum dicta per hoc faciliùs decipiantur; contra praeceptum Domini demandantis in Levitico: *Non mentiemini,*

Levit. 19. verſic. 11.

ni, *neque decipiat quiſque proximum ſuum*. Quia hoc propriùm à Diabolo provenit, juxtà illud Joannis: *Cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur*, *quia mendax eſt*, *& pater ejus*. Undè Lyrinenſis dicebat: *Ne majorum ſenſu*, *qua volumus trahamus*, *ſed potiùs qua illa trahunt*, *retrahuntque ſequamur*. Sciens ipſe, dixiſſe Spiritum Sanctum: *Nè addas quicquam verbis illius*, *& arguaris*, *inveniariſque mendax*. Hoc eſt, (ut explicat Hierònymus): *Non corrumpas eloquia Sancta Scripturarum*. Nec non admonuiſſe Auguſtinum, capitale mendacium eſſe, longèque fugiendum, mentiri in Regionis Doctrina: *Non eſt*, inquit, *mentiendum in Doctrina pietatis*. *Magnum enim ſcelus eſt*, *& primum genus deteſtabilis mendacii*, *&c.* Sed tranſeamus ad alia, cum de ſupradictis jam dicta ſint ſatis.

Joann. 8. verſic.44.

Lyrin. in lib. adverſ. Proph. Vocum novit.

Proverb. 3. verſ.6.

S. Hier. lib. 1. in Comm. Iſajae cap. 8.

S. Auguſt. lib. de Mend.c.21.

LIV. Ad praeinſertas authoritates circa eſum Volatilium in Antepaſchali jejunio addit etiam Author ſententiam Epiphanii, dicentis: *Sunt & alia in Eccleſia Catholica inſtituta*, *vivendique praeſtantia*; *nimirum quòd alii carnibus prorsùs abſtineant*, *tàm quadrupedum*, *& Avium*, *quam Piſcium*, *necnon Ovis*, *& Caſeo*; *tùm ſunt alia vitae genera*, *propter quòd unuſquiſque ſecundum ſuum laborem mercedem accipiet*. *Igitur ſunt*, *qui omnibus illis abſtinent*; *alii quadrupedibus duntaxat*, *ſed Avibus*, *ac caeteris veſcuntur*; *alii etiam ab Avibus temperant*, *& Ova*, *& Piſces adhibent*; *alii etiam Ova repudiant*: *Sunt qui ſolis Piſcibus retineant*, *quibus nonnulli etiam abſtinent*, *qui tamen Caſeum ſibi permittunt*; *alii verò Caſeo non utuntur*; *praetereà quidam à Pane abſtinent*, *quidam ab arborum fructibus*, *&c.* Haec Epi-

Epiph. in Expoſ. Fid. n.22.

phanius relatus in *Diſſertatione Hiſtorico-Phiſiologico-Morali*. At antequam praefata verba conſiderentur, pertranſeuntèr eſt hic animadvertendum, ipſum Authorem confundere in praeſenti Ancoratum Epiphanii, cùm illius Fidei Expoſitione, dùm ait: *De eadem conſuetudine veſcendi Piſcibus, &c. menſionem facit Sanctus Epiphanius, qui ſeculo IV. in vivis erat. Ipſe namque in Ancorato, ſeù Fidei expoſitione, poſtquam de jejunii Antipaſchalis ritu multa diſſeruiſſet, num.* 23.*ſubdit: ſicut, &c.* Indèque poſtquam in notis marginalibus aſſeruiſſet: *Epiphanium vixiſſe ad annum* 368., addit: *Hoc opus ſcripſit anno circitèr* 373. *rogantibus Presbyteris Suadrae Pamphiliae Vrbis, & Palladio Praeſide, ut doctrinam de Sancta Trinitate, ac in primis Spiritus Sancti Catholicam ipſis explicatam daret, & inter ipſos graſſantem haereſim Macedoniam ſcripto compeſceret*. Ubi ſinè dubio loquitur de ipſo Ancorato, nàm in illius Synopſi habetur: *Ancoratus verò iſte liber nominatur, propterea quòd animum de vita, ac ſalute ſollicitum inſtar ancorae moderatur. Scriptus eſt hic liber ad nonnullos, qui Suadris Pamphiliae degebant, &c.*

Author Diſſ. fol. 13.

Idem loc. cit.

Ex Synopſ. ad Ancorat. Epiphan. fol. 1. to. 2. ipſius operum Pariſ. 1622.

LV. At errore poterat notari, non ſolùm quo ad annum ipſe Author, quia videtur inſubſiſtens Epiphanium vixiſſe ad annum 368., ut ipſe aſſerit (quando nos illum mortuum volumus ad annum 403. ex Labbè) & ſcripſiſſe Ancoratum anno 373., quinque annis ſuum poſt obitum; ſed etiam quo ad Librum: Nam *Ancoratus* eſt omninò diverſus à *Fidei expoſitione*, cùm ille habeatur in principio ſecundi tomi Operum Epiphanii, iſta autem in fine tomi primi, ut legenti patebit. Et praealle-

Ancor. in to. 2. fol. 1.

Fidei expoſit. in to. 1. f. 1078.

gata

gata verba habentur in *Fidei Expoſitione*, non autem in *Ancorato*: Hoc ad Lectoris curioſitatem animadverſo.

LVI. Reſpondendo nunc ad authoritatem Epiphanii, dicimus: Illam non loqui de Antepaſchali jejunio, ſicuti ſupra tetigimus, ſed de variis Monachorum inſtitutis, vèl vivendi Chriſtianorum formulis, ut advertit ipſemet Author dicendo: *De eadem Conſuetudine veſcendi Piſcibus, & Avibus apud Chriſtianos, qui vèl voluntate, vèl ſecundùm aliquòd inſtitutum abſtinentes vivere volebant, mentionem facit Epiphanius, &c.* Deindè confirmatur ex ipſiùſmet relatis Epiphanii verbis, ibi: *Sunt & alia in Eccleſia Catholica inſtituta vivendi praeſtantia; nimirùm, quòd alii Carnibus prorsùs abſtinent, tàm quadrupedum, & Avium, quam Piſcium, necnon Ovis, & Caſeo; tùm ſunt aliae vitae genera, propter quòd unuſquiſque ſecundum ſuum laborem mercedem accipit*. Ubi vides, Epiphanium loqui de variis Eccleſiae inſtitutis, de quibus unuſquiſque juxtà ſui vivendi morem retributionem expectat; quòd non poteſt verificari de eſu Avium in Antepaſchali jejunio, cùm iſte nullibi inveniatur ab Eccleſiâ inſtitutus, nullamque mercedem accipiet, utpotè deſtructivus eſſentiae jejunii, contrarius fini, ac Conſuetudini Eccleſiae, & nimis favorabilis Novatorum errori, ut fuſiùs adnotavimus ſupra. Tandèmque, omne tollitur effugium, ſi attendantur verba praecedentia, & ſubſequentia ipſius Epiphanii (ultra relata ab Authore Diſſertationis); praemictit enim Sanctus Doctor: *Porrò Monachorum alii in Urbibus degunt, alii in Monaſteriis habitant, & ab hominum frequentia longè*

Supra nu. 39.

Author Diſſ. fol. 13.

Supra à nu. 14. uſq. ad 29.

S. Epiph. in Fid. Expoſ. nu. 23.

gè abſcedunt. Nonnulli verò prolixior coma placuit, Sanctioris videlicèt inſtituti cauſa; id quòd ſuapte voluntate, ſine Evangelii praecepto, aùt Apoſtolorum approbatione faciunt. Deindè interiectis verbis ſupra relatis de ciborum delectu, addit: *Plerique humi cubitant, alii nudis pedibus, ac ſinè calceamentis incedunt: Alii occultum cilicium ferunt; qui id laudabilitèr, virtutis ſcilicèt, aùt poenitentiae cauſa fuerunt; nàm cilicium palàm, ac praeſeferre minus decorum videtur, quòd inſtituère nonnulli. Neque plus decoris habet, ut diximus, quòd nonnullis viſum eſt, cùm vinculis collo inditis incedere. Sed quam plurimi balnea nunquam vident. Nonnulli ſeculo ita renunciaverunt, ut leviores quaſdam artes, ac minùs negotioſas ſibi excogitarent, nè aetatem in otio degerent, aùt cibum cujuſquam incommodo ſumerent. Magna verò ex parte in decantandis Pſalmis, ac perpetuis Orationibus, & Sacrarum Literarum Lectionibus, iiſdemque memoritèr pronunciandis ſeipſos exercent, &c.* Ex quibus luce meridianâ clariòr apparet, Epiphanium in hoc non loqui de ciborum delectu in Antepaſchali jejunio, ſed de diverſis Religioſorum Inſtitutis, variaſque Chriſti-fidelium vivendi formulis; licèt in capite praecedenti Sermonem habuiſſet de jejunio quartae, & ſextae Feriae, & de Synaxi, cùm dicat: *Sacris porrò conventis, & Synaxes ab Apoſtolis inſtituti ſunt, his potiſſimis diebus quartae, ſextaeque Feriae, & Dominica. Item quarta, ſextaque Feria jejunium ad horam uſque nonam indictum, propterea quòd quarta Feria comprehenſus eſt Dominus, & Sexta in Crucem ſublatus.* Adeòque, cùm nihil authoritas Epiphanii tribuat inſtituto noſtri Authoris, non videmus quomodo ipſe

Idem loc. cit. num. 21.

ipſe in praeſenti *Diſſertatione* hujuſmodi teſtimonium in medium aducat.

LVII. Sicuti etiam ſuperflua videtur alia authoritas Juliani Pomerii (ſivè S. Proſperi Aquitani, totiès à nobis ſupra tranſcripta) circa abuſum ciborum Quadragèſimalium; quia nos tantummodò loquimur in praeſenti de cibis permiſſis in Antepaſchali jejunio (an ſcilicèt Aves fuiſſent vetitae, vèl ne apud quoſdam Chriſti-fideles in Quadragèſimâ), non autem de illorum exceſſu, abuſu, & ſuperfluitate, quae etiam in rebus licitis, atque permiſſis communitèr deteſtatur, ut adnotabamus ſupra. Adeòque videtur talis authoritas tantummodò hic tranſcripta, ad hoc ut ab illâ concludatur eſſentiam jejunii non conſiſtere in ciborum delectu, ſed in ſola reſecatione ſuperflui, ſicuti adnotavimus, & confutavimus alibi: Cùm Pomerius nil penitùs de Quadragèſimâ loquatur in ſequentibus ſuis verbis ab Authore in hunc modum tranſcriptis: *Caeterum*, inquit, *ſi à Quadrupedibus abſtinentes, Phaſianis Alitibus, vèl aliis Avibus pretioſis, aùt Piſcibus perfruantur, non mihi videntur reſecare delectationes ſui corporis, ſed mutare: Nec pro abſtinentia, ſed neſcio qua immunditia, vèl certè (quòd veriùs eſt) pro ſtomachi nauſeantis teneritudine, delicatas illas communes, ac viles carnes abjicere, quò poſſint aliis non ſolùm Carnibus voluptates explere; cùm ſicuti ſupra jam patuit, non aliquorum Carnium, quae uſui humano conceſſae ſunt, nobis naturae damnandae ſint, quas Deus inſtituit; ſed Carnales concupiſcentiae fugiendae, quas ſenſui carnis Diabolus introduxit. Illi autem, qui parciores videri volunt, & gloriam ſibi velint de abſtinentia*

Supr. num. 31.

Supr. num. 8., & 14.

Julian. Pomar. d. lib. 2. cap. 23.

tia diſtrictiore conquirunt, ſic ab omnibus indicant temperandum, ut peregrinis pomis, ac ſorbitiunculis delicatis, caeteriſque aliis immanem ſui corporis appetitum impleant; cùm Spiritualis abſtinentia non aliquorum ciborum uſum, ſed deſiderium ſuadeat compeſcendum. Et illi magis parſimoniae ſervire cenſendi ſunt, qui ſibi non aliquarum rerum perceptiones, ſed delectationes corporis interdicunt. Haec Pomerius; Ubi, non ſolùm menſionem nullam facit de Avibus permiſſis in Antepaſchali jejunio, ſed nec etiam diſcurrit de abundantiâ, & ſuperfluitate ciborum in diebus Quadragèſimalibus, ut poſſit juremeritò adjicere ipſe Author: *Haec praefatus Pater admodum praeclara, quae adferre cenſui, ut unuſquiſque Fidelium cognoſcat in quibus verae abſtinentiae virtus conſiſtat.* Quapropter ex hac ſententiarum Socratis, Nicephori, Photii, Petavii, atque Epiphanii, necnon & Pomerii explicatione manifeſtè colligitur inſubſiſtentia Facti de eſu Avium in Antepaſchali jejunio, quem probandum aſſumpſerat Author in ſua *Diſſertatione Hiſtorico-Phiſiologico-Morali*; modòque poſſumus de ipſis ex Hierònymo ad Creſifontem dicere: *Sententias eorum prodiiſſe, ſupereſſe eſt.*

Author Diſſ. folio 16.

S.Hieron. in Epiſt.ad Creſifont.

ANIMADVERSIO IV.

In qua refelluntur rationes, quibus Author Diſſertationis conatur defendere ut laudabilem conſuetndinem comedendi Aves in Antepaſchali jejunio.

LVIII. E' Medio ablata ſubſiſtentia Facti circa veritatem edendi Volatilia, corruit ex

ex ſeipſo, quicquid juris affert idem Author in defenſionem illorum Chriſti-fidelium, apud quos praeſupponit, praevaluiſſe conſuetudinem comedendi Aves in Antepaſchali jejunio, dùm dicit: *His praelibatis, tempus jàm oppetit, ut ad examinandum deſcendam, quibuſnam authoritatibus, rationibuſque fulti tunc temporis quamplures Chriſti-fideles in Antepaſchali jejunio ſibi una cùm Piſcibus, Avium quoque eſum permittebant.* Utpotè res de ſubjecto non ſupponente (quando jus ſolet oriri ex ipſo Facto, ex juriſperitorum axioma), ex eo quia numquam fuit in uſu apud quoſdam Chriſti-fideles comedere Aves in Antepaſchali jejunio, praecipuè in illis primitivae Eccleſiae temporibus, quando non ſolùm à Piſcibus (ut vult ipſe Author in principio ſuae Diſſertationis), ſed etiam à Pane ſe abſtinebant nonnulli, ut de Juſtiniano Imperatore refert Procopius, & de multis aliis ſcripſit Hierònymus: *Audeo praeterea quoſdam aquam non bibere, nec veſci pane.* Immò Tertullianus demandabat, Aquam nec etiam bibi in decurſu diei: *Qualis*, inquit, *eſus, talis & potus; veriſimilè non eſt, ut quis dimidiam gulam Deo immolat.* Undè Ambroſius obſtupeſcebat de quibuſdam, qui de ſiti toleranda ſe excuſabant in jejuniis extra Quadragèſimam: *Dicunt enim* (ſunt ejus verba) *aeſtivis menſibus dies longa eſt, torrenſior ſol eſt, ſitim ferre non poſſumus, poculis nos refrigerare debemus.* Adeòque videtur omninò inveriſimilè, aliquos gulae inſeruiſſe, comedendo Aves, dùm nonnulli abſtinebant à Piſcibus (quos pro illo tunc vetitos praetendit Author), ab Ovis, à Vino, à Terrae fructibus, & ab ipſo Pane. Quando jàm Paulus

Author Diſs. fol. 16.

Procopius in Vit. Juſtin.

S. Hier. in Ep. ad Nepotian.

Tertull. de jejun. adv. Pryſc.

S. Ambroſ. ſerm. 39.

lus hanc diſſonantiam tacitè reprehenderat in Corinthos, admirando quòd quidam ad ebrietatem manducabant, alii verò jejunio ſe commendabant: *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*: Undè & ſubjungebat: *Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo*. Alitèr enim ipſis potuiſſet dicere, quòd de talibus ad Timotheum ſcribebat: *Hujùſmodi enim Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ventri*. Quòd proprium videtur eſſe Haereticorum, de quibus inquit Hierònymus: *Omnis autem Haereticus habitat in Babylone, & calòrem fidei perdidit, nec audire poteſt illud Apoſtoli: Spiritui ſervientes. Et quia ſe voluptatibus tradidit, receſſit à Domino, & diſperſit vires ſuas alienis Dogmatibus, & voluptatem ſecutus eſt; nulla enim haereſis, niſi propter gulam, ventremque conſtituitur, ut ſeducat mulierculas oneratas peccatis*.

1. ad Corinth. verſ. 21.

2. ad Timoth. 3. verſ. 6.

S. Hieron. in c. 3. Jeremiae.

LIX. At etiam gratis admiſſo, hanc praeallegatam conſuetudinem de facto viguiſſe tempore Socratis; actamen illa nullatenùs poteſt propugnari, rationibuſque fulciri, utpotè paucorum, & totius Eccleſiae contraria; quia ad evidentiam nos admonet Lyrinenſis, dicens: *In ipſa Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, quòd ubique, quòd ſemper, quòd ab omnibus creditum eſt; ſed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſuetudinem. Sequamur autem univerſitatem, hoc modo, ſi hanc unam Fidem veram eſſe fateamur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab his ſenſibus nullatenùs recedamus, quos Sanctos Majores, ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſuetudinem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium,*

Lyrinenſ. in Commonit. capit. 2.

nium, *vèl certè penè Sacerdotum*, *& Magiſtrorum definitiones*, *ſententiaſque ſectemur*. Indèque ſibi opponens hanc difficultatem: *Quid igitur tunc faciet Chriſtianus Catholicus*, *ſi ſe aliqua Eccleſiae particula ab Univerſalis Fidei communione proſciderit*? Illam ſolvit, addendo: *Quid utique, niſi ut peſtifero corruptoque membro ſanitatem univerſi corporis anteponat*? .... *Quòd ſi in ipſa vetuſtate duorum, aùt trium hominum, vèl certè Civitatis unius, aùt etiam Provinciae alicujus error deprehendatur, tunc omninò curabit, ut paucorum temeritati, vèl inſcitiae, ſi quà ſunt univerſalitèr, univerſalis Concilii decreto praeponat*. Et pro quantùm facit ad praeſens, contra unum Socratem (in caſu quò ipſe revera voluiſſet aſſerere, apud quoſdam Chriſti-fideles adfuiſſe conſuetudinem comedendi Aves tempore Quadragèſimae; licèt non explicet ubi, quando, & apud quoſnam; quae erant neceſſariò adnotanda, pro majori veritatis, & narrationis credulitate) ſatis pulcrè ipſe addit: *Quicquid verò, quamvis ille Sanctus, & Doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor, & Martyr, praeter omnes, aùt contra omnes ſenſerit, id inter proprias, & privatas opiniunculas, à communis, & publicae generalis ſententiae authoritate ſit ſecretum, ne cùm Summo aeternae ſalutis periculo univerſalis Dogmatis, antiqua veritate dimiſſa, unius hominis novitatum ſectemur errorem*. Alitèr enim ſi velimus errantes defendere, & non potius peccantem corrigere, eſſemus forſitan illius erroris conſortes, falſaeque opinionis participes, itaùt poſſet nobis Propheta aſſerere: *Si videbas furem, currebas cùm eis, & cùm adulteris portionem tuam ponebas*. Quando poſt Apoſtolum

Idem loc. cit. cap. 3.

Idem cap. 28.

Pſalm. 49. verſic. 31.

ad Roman. 1. verſ.8. lum dicentem : *Non ſolùm digni ſunt morte, qui ea faciunt* (ſupple mala) , *ſed etiam , qui conſenſiunt facientibus* , jàm ex vetuſtis habemus Monumentis , Theodoretum Cyri Epiſcopum (ex quo tot erudita Volumina recognoſcit Ecclesia) , non aliundè fuiſſe in Concilio Conſtantinopolitano anathematizatum , niſi ex eo , quòd in ſuis laudaſſet ſcriptis Theodorum Mopſueſtenum Neſtorii Magiſtrum . Undè etiam Damaſus Papa blaſphemantes in Spiritum Sanctum vocat non minùs Sacrorum Canonum violatores , quam infringentibus conſentientes : *Violatores* , inquit , *Canonum voluntarii graviter à SS.Patribus judicantur , & à S.Spiritu , inſtinctu cujus , ac dono dictati ſunt , damnantur , quoniam blaſphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur , qui contra eoſdem Sacros Canones , non neceſſitate compulſi , ſed libentèr , ut praemiſſum eſt , aliquid aùt protervè agunt , aùt loqui praeſumunt , aùt facere volentibus , ſpontè conſenſiunt* .

ex Liberat. tom.4. Concil. cap.2.

ex Can. *Violatores* 15. q.1.

LX. Immò , cùm adfuiſſet lex abſtinendi à Carnibus , & Volatilibus tempore Quadragèſimae,ut dicebamus ſupra, praeaſſerta Conſuetudo non merebatur in medium adduci , utpotè error potiùs , quam Conſuetudo , dicente Cypriano : *Conſuetudo , quòd apud quoſdam obrepſerat , impedire non debet , quominùs veritas praevaleat , & vincat ; nàm conſuetudo ſinè veritate, vetuſtas erroris eſt ; propter quòd relicto errore , ſequamur veritatem , ſcientes , quia & apud Eſdram veritas vicit , ſicut ſcriptum eſt: Veritas manet , & invaleſcit in aeternum , & obtinet in ſecula ſeculorum* . Ex quò edoctus dicebat etiam Gregorius (ſupponitur fuiſſe Gregorium VII. ,

Supr. num.35.

S.Cypria. Epiſtol. ad Pomp. contr. Epiſtol. Steph. Pap.

juxtà

juxtà Ivònem, in aliquibus ſuis manuſcriptis): *Si conſuetudinem fortaſſis opponas advertendum eſt, quòd Dominus dixit: Ego ſum veritas, & vita; non dixit. Ego ſum conſuetudo, ſed ſum veritas. Et certè (ut Beati Cypriani utamur ſententia), qualibet conſuetudo, quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata, veritati omninò eſt poſtponenda, & uſus, qui veritati eſt contrarius abolendus eſt.* Quibus adſtipulatur Auguſtinus, dùm ait: *Fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem vobis objiciunt, quaſi conſuetudo major ſit veritate, aùt non id ſit in Spiritualibus ſequendum, quòd in melius fuerit à Spiritu Sancto relatum.* Adeòque de ſimilium Conſuetudinum Sectatoribus poſſumus dicere id, quòd olim de iiſdem in Spiritu affirmabat Paulus, Timotheo ſcribens: *Hujùſmodi enim Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri; & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda Innocentium.* Quibus forſitan verbis arridens Concilium Pariſienſe, contra Conſuetudines pravas inſurgens: *Quorundam perverſiſſimae Conſuetudines, propriaeque voluntates multimoda inventione contumacitèr, quòd valdè periculoſum eſt, efficiunt, ut opera fidei magna ex parte negligantur, qui dùm legis Divinae tranſgreſſores exiſtunt, eoſdem conſuetudines, ſibi legem faciunt, & ſecundum eas ſe vivere abſque ſui diſcrimine, & poſſe, & debere contendunt, ſua quaerentes, non quae Jeſu Chriſti. Quòd quantum authoritati Divinae contrarium ſit, aùt non advertunt, aùt certè animadvertere detrectant. Quantùm etiam ab hoc Religio Criſtiana in eis periclitatur, facilè qui ſapit advertit. Quapropter unuſquiſque Fidelis, ſi ſalvus eſſe vult, oportet, ut remotis perverſis conſuetudinibus, quae periculum* ani-

S. Gregor. relatus in Can. *Conſuetudo* diſtin.8.

S.Augu. lib.4. de Bapt cap.5.

2. ad Timoth. 3. verſ.6.

Concil. Pariſ. de anno 829. cap.1.

animarum generant, fid:m Chriſti, quam percèpit, bonis operibus exornare non negligat.

LXI. Sed, ut noſtrum Aſſumptum (quia nempè Author *Diſſertationis*, parum, aùt nihil probet, id quòd probandum aſſumit), magis, magiſque pateat, aequum videtur ad limam revocare, & in examinis Trutina appendere rationes, quibus excuſare sùb nominis conſuetudine hunc erroneum ipſe nititur abuſum. Ut nullius ponderis, & minus habentes inveniantur. Et quidem ſivè Authoritas Scripturae, ac Patrum, ſivè rationes Phiſiologicae, & experientiae, quas fuſo calamo pertexit hic Author *Diſſertationis*, funditùs percipiantur, hoc unum prae oculis eſt habendum, ipſum per illas tantummodò probare, Aves fuiſſe in ſui primâ creatione, non ſecùs ac Piſces, ex Aquae elemento productas; & hac Theſi fundata, ſibi ſupponit captaſſe triunphum. Undè ait: *Et quidem quantùm ad Authoritatem pertinet, id ſanè ex Sacris Literis manifeſtè tueri putabant, ut Socrates, & Nicephorus recenſent, Geneſis enim capit.*1. 20., *Piſces, & Aves ex eadem materia, aqua nimirum, quinta creationis die à Deo progenitos, Moſes his verbis innuit: Dixit etiam Deus, producant Aquae reptile animae viventis, & Volatile ſuper Terram. Quibus clariſſimis verbis SS.Patres omnes, tùm Graeci, tùm Latini innixi, idem communitèr aſſerunt; praeſertim S. Ambroſius lib. V. in Hexameron cap.*14. . . . . . *Ei clariùs in Ambroſiano Cantico, Eccleſiaſtica authoritate probato, qui in Feria V. Veſper. canitur.*

Author Diſſ. fol.16.

Magnae Deus Potentiae,
Qui ex aquis ortum genus,

Par-

Partim remittis gurgiti,
Partim levas in aere.
Demerſa lymphis imprimens
Subvecta Coelis irrigans,
Ut ſtirpe una prodita,
Diverſa rapiant loca.

LXII. At quantùm in hoc à veritate aberrarunt illi primi Eccleſiae Fideles apud Socratem, & Nicephorum, quantumque in praeſenti allucinatur noſter Author, antequam cubitalibus oſtendamus rationibus, eruditionis gratia afferre hic libet horrendum, atque deplorabile cujuſdam Religioſi facinus, in Vita S.Oddonis Abbatis Cluriacenſis à Joanne Monacho regiſtratum: *Frater quidem*, inquit Author, *mane ad Patris ſui Aedes veniens, rogat, nunquid habeant quid poſſint ipſi edendum apponere: Illis dicentibus, non dùm eſſe edendi tempus, reſpondit iratus: Hen tota nocte equitavi, ut explerem, quòd juſſus ſum, & vos jejunaré me cogitis? Afferte, ſi quid habetis. Ajunt illi, ſe habere Piſces. At miſer acrioribus etiam iracundiae ſtimulis percìtus, & faſtu tumidus, huc, illucque circumfert oculos, videtque Gallinarum gregem ad pedes ſuos. Mox non niſi furia quadam, arrepto baculo, unam ex eis, quae ei arridebat percuſſit, oreque rabido:* Haec modò, *inquit*, Piſcis erit. *Qui tunc illic aderant, non ſinè rubore ajunt ad eum: Fortaſsè licet tibi veſci Carnibus? Volatilia, inquit, non ſunt Caro: Unam enim habent cùm Piſcibus Originem, pariſque cùm illis conditionis ſunt, ſicùt habet quidem hymnus noſter: Magnae Deus Potentiae, Qui ex Aquis ortum genus, Partim remittis gurgiti, Partim levas in aere, &c. Ad haec ejus verba conticuerunt* Joan. Monach. in Vit. S. Oddon. lib 3. c. 2., qui vixit ſeculo nono.

om-

omnes. Deindè appoſita eſt illis aſſa Gallina, ex qua cùm morſellum accepiſſet, eum nec trajicere in ſtomachum, nec expuère potuit, repentè è medio ſublatus: Haec ille. Ubi nota duo, primum nempe, Aves sùb nomine Carnium apud illos Monachos veniſſe: *Forſitan licet tibi veſci Carnibus?* Quando agebatur de Gallinis. Aliud inſuper, Monachum volentem Aves cùm Piſcibus communes facere, morte improviſa fuiſſe correptum. His ſtantibus, atque praemiſſis, ad confutationem hujus Diſſertationis.

LXIII. Pertranſeuntes igitur ac errorem priſcorum Fidelium (quotiès re vera Aves comediſſent in Antepaſchali jejunio, ut vult Socrates), quaerimus ab ipſo *Diſſertaiionis* Authore, quaenam conventio unquam datur inter hanc illationem: Aves procreatae ſunt ex Aqua, ergo poſſunt comedi in die jejunii, ſicuti & Piſces? Nunquid Piſces abſolutè comeduntur in Quadragèſimâ, ex eo quia ſunt deducti ex Aquâ, non autem ex eo, quia nihil praeſtant ad fomitem Carnis, ut dicemus infra? Aùt forſitan datur in Sacris Scripturis aliqua lex, ſivè in Eccleſiâ mandatum ex determinatione Conciliorum, Deciſioneque Summorum Pontificum (à quibus noſtrae praeſcribuntur vivendi regulae), ut ea quae originem ducunt ex Aquâ, ſinè conſcientiae ſtimulo poſſint comedi in diebus jejunii, quòd pro certo hic ſupponit Author? Itaùt comprobatâ Avium productione ex elemento Aqueo, poſſit exindè concludentèr deducere; igitur Aves ſinè Conſcientiae ſtimulo manducantur in Antepaſchali jejunio. Et non potiùs debeat attendi permiſſio, & prohibitio Eccleſiae

Infr. num. 120.

cleſiae in Ciborum delectu? Si enim fas eſt Avibus non parcere in Quadragèſimâ, ex eo quia ſint ex Aquâ productae; cùm neque ex Sacrâ Scripturâ, neque ex aliquâ determinatione Eccleſiaſticâ hoc poſſit demonſtrari (ut procerto hic ſupponimus, & contrarium non oſtenditur ab ipſo Authore, cui incumbit onus probandi), neceſsè eſt, ut ex aliquo naturali ratiocinio id poſſit deſcendere: Et hoc meo videri, quia ut dicunt Grammatici: *Derivata Patris naturam verba ſequuntur* (qua ratione Gregorius Magnus, S.Hierònymus, Divus Thomas, & Quini-Sexta Synodus, ut ſupra, volebant Ova, & Lacticinia, una cùm Carnibus eſſe in Quadragèſimâ interdicta, quia ſementinam originem ducunt à Carne, derivanturque à Quadrupedibus, atque Volatilibus). Adeòque, quia Aqua de ſui natura permittitur in Antepaſchali jejunio, nullibique prohibita, Aves quia ex illa deductae, una cùm Piſcibus, debent permicti tempore Quadragèſimae, ſicuti non interdicitur ipſius Lymphae potus. Cùm alium excogitare Phiſiologicum argumentum penitùs ingnorarem, quando illud non exprimit Author; contentus tantummodò oſtèndere Aves fuiſſe ex Aqua eductas. Quaſi quòd Titulus ejus *Diſſertationis de Avium ſit, Piſciumque ex Aquae origine*, & non potiùs: *De Avium, & Piſcium eſus conſuetudine in Antepaſchali jejunio.* Itaùt de illarum procreatione, & non de eſu afferat rationes; ineſcuſabilitèr tranſeundo à comprobatione propoſiti Thematis, ad oſtentionem Aſſumpti non conducentis ad quaeſtionis ſtatum. Supr. num. 26.

LXIV. At relinquendo, quòd Aves, ſicuti

O & Pi-

& Piſces, quamvis ex aquâ debeant dici procreata, non tamen ex ipſo ſolo elemento aqueo, ſed etiam ex terrâ, aliiſque elementis, neceſſe eſt fuiſſe compoſitas, utpotè corpora mixta, ex Divo Thoma: *Corpora Avium, & Piſcium, poſſunt dupliciter conſiderari; uno modo ſecundùm ſe; & ſic eſt neceſſe, quòd in eis magis terreſtrè elementum dominetur; quia ad hoc quòd fiat temperatio mixtionis in corpore animalis, neceſſe eſt, quòd quantitativè abundet in eo elementùm, quòd eſt minùs activum, ſcilicèt terra. Sed ſi conſiderentur ſecundùm quòd ſunt nata moveri talibus motibus, ſic habet affinitatem quandam cùm corporibus, in quibus moventur.* Undè, ſecundùm mentem S.Doctoris, Piſces, & Aves, plùs habent de terra, quam de aquâ. Affirmante etiam Lyrano ad illud Geneſis: *Producant aquae, &c. Non quòd Aves,* inquit, *& Piſces de ſola aqua ſint formati, ſed de quatuor elementis; tamen aqua ſola exprimitur, propter quandam convenientiam cùm iſtis: Habet enim aqua humorem, & vaporem; per humorem convenit cùm Piſcibus, per vaporem, qui ſurſum levatur in aerem, cùm Avibus.* Sed hoc inquam praetereundo (ſicuti etiam reticèmus, quia deberet potiùs attendi ſtatus praeſens in Avibus, quòd nihil habent commune cùm aquâ, ex quâ primò prodierunt Aves. Sed omnes ſuas exercent actiones in terra), jocandi cauſa ſi valeret hoc argumentum: Aves ſunt productae ex aqua: at aquae potus non prohibetur in diebus jejunii; igitur nec etiam Aves. Valeret etiam hoc aliud: Animantia quadrupedia ſunt producta ex terra, cùm habeatur in Geneſi: *Producat terra animam viventem in genere ſuo, Jumenta, Reptilia, & Beſtias terrae,*

S.Thom. 1.p. q. 71. artic. 1. ad 2.

Lyran. ad cap. 1. Geneſ.

Geneſ. 1. verſic 23.

rae, ſecundum ſpecies ſuas : Sed terrae comeſtio non eſt vetita in diebus jejunii, ex eo quia Regius Pſaltes in majoribus ſui corporis afflictionibus terram pro cibo ſumebat, ſicut ipſe cecinit: *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum, cùm fletu miſcebam* : Ergo nec etiam quadrupedium Carnes poterunt dici prohibitae in Antepaſchali jejunio. Sicque non minus Aves, quam quadrupedia eſſent toleranda in Quadragèſimalibus cibariis. Ultimum non admictitur à noſtro *Diſſertationis* Authore: Et ſic nec etiam à nobis conceditur & primum; ne de utriuſque habeat dicere Apoſtolus: *Hujuſmodi enim Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo Ventri.* Et ut ad hominem per palmarem, atque irreluctabilem implicantiam perſtringamus *Diſſertationis* Authorem dicimus; quòd ubi ipſe vùlt ex Socrate Aves permiſſas in Antepaſchali jejunio potiſſimùm propter hoc: Quia fuerunt ex aqua procreatae, ſimul, & ſemel, eodemque tempore ex ipſomet Socrate aſſerit Piſces fuiſſe vetitos in Quadragèſimâ; quaſi quòd iſti non fuerint ex aqua ſicut Aves progeniti. Adeòque ſi Avium, Piſciumque delectus attendendus erit in diebus jejunii ex ipſa aqua, undè ab initio fuerunt producta; vèl damnanda erit permiſſio Avium in Antepaſchali jejunio, vèl improbanda venit prohibitio Piſcium in Quadragèſimâ: Quia ùtrobique par ratio, & tàm Piſces quam Aves, in illius ſententiâ, Aquam primò cognoverunt matricem.

Pſalm. 101. verſ. 10.

2. ad Timoth. 3. verſ. 6.

LXV. Deindè ſi Aves cùm Piſcibus de natura ſua eſſent licitae in Antepaſchali jejunio, quia deductae ex aqua, reliqua animantia vetita, quia

procreata ex terra, nunquam poſſet Eccleſia Aves, ac Piſces Fidelibus interdicere in diebus jejunii, & nunquam in illis carnes Quadrupedium permictere. Sicuti, quia Adulterium, Furtum, Homicidium de natura ſua ſunt mala, ullo modo poſſunt ab Eccleſiâ tolerari aùt permitti; & è contra, quia Oratio, Sacrificium, Religio, & ſi quae ſunt hujuſmodi, cùm de natura ſua ſint bona, nullatenùs valent ab Eccleſiâ prohiberi, quia jus Naturae (quòd nihil aliud eſt: *Quam participatio juris Divini in rationali Creatura*, ut ait D. Thomas), eſt ſempiternae veritatis, & ſi nec etiam ab ipſo Deo, ut ajunt nonnulli cùm praefato Angelico Magiſtro, poteſt diſpenſari; multoque minus ab ipsâ Eccleſiaſticâ Poteſtate; dicente ad hoc Bernardo: *Neceſſarium deindè, quòd immobile nominavi, illùd intelligo, quòd non ab homine traditum, ſed Divinitùs promulgatum, niſi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur, ut exempli cauſa, non occides, non mecaberis, non furtum facies, & reliqua illius Tabulae Legis ſcita, quae & ſi nullam prorsùs hominum diſpenſationem admictant, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo ſolvere, aùt licuit, aùt licebit. Dominus autem horum, quòd voluit, & quando voluit ſolvit.* Quam veritatem etiam Ethnici cognoverunt, habemus ex Tullio apud Lactantium: *Lex recta ratio, naturae congrua, diffuſa per omnes, conſtans, ſempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat. Huic igitur legi, nec prorogari fas eſt, nec derogari aliquid licet, nec tota abrogari poteſt. Nec verò per Senatum, aùt per Populum ſolvi hac lege poſſumus. Non erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia*

S.Thom. 1. 2. q. 9. art. 2.

Idem loc. cit. q. 100. art. 8.

S. Bernard. de Praecept., & diſpenſ.

Tull. apud Lactant. lib. 1. Divin. Inſtit. ca. 8.

alia poſthac, ſed & omnes Gentes, & omni tempore una lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit. Et haec forſitan erat illa Lex ſempiterna, de cujus tranſgreſſione quaerebatur Dominus per Iſaiam dicentem: *Terra infecta eſt habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt Legem, mutaverunt jus, diſſipaverunt Foedus ſempiternum; propter hoc maledictio vorabit terram.* Atqui Eccleſia prohibuit Piſces, uſque ad ſeptimum Seculum, ad tempus nempe Gregorii I., juxtà ſententiam Authoris in principio ſuae *Diſſertationis* (quòd nos tamen aſſeverantèr negavimus); necnon tempore Quadragèſimae permictit Carnes in Hiſpaniae Regionibus, ut in coronide ejuſdem *Diſſertationis* idem Author annuit; Igitur, vèl in hoc erravit Eccleſia prohibendo, ac permittendo id, quòd prohibere, ac permittere non poterat; vèl Piſces, Aves, & Pecudes de natura ſua in Antepaſchali jejunio non ſunt vetita, ac permiſſa, ſed tantùm de Eccleſiae mandato. Dum primum dici non poteſt; pro ſecundo igitur ſtare debemus.

Iſajas cap. 24. verſ. 5.

Supra à n. 29. & ſeq.

LXVI. Neque hic probandum venit, Eccleſiam eſſe infallibilem in ſuis determinationibus, nulloque ſuccumbere errori, utpotè directam, & informatam à Spiritu Sancto, non permictente illam circumferri vento falſae Doctrinae, quia cùm Catholicis res nobis eſt, nihil in hoc contrarium habentibus: Quando etiam Lutherus, Novatorum ſignifer, ejus evidentiae mole gravatus, habuit dicere: *Eccleſia Spiritu Dei regitur, & Chriſtus cùm Eccleſia ſua manet uſque ad conſumationem ſeculi. Et Eccleſia Dei eſt Columna, & firmamentum veritatis. Haec novimus; Nàm & ſic habet Symbolum omnium*

Luther. in lib. de Serv. arbitr.

noſtrum : Credo Eccleſiam Sanctam Catholicam. *Et impoſſibilè eſt illam errare in minimo articulo*. Et Gulielmus Vuitacherus, Lutheri diſcipulus, explicans illa verba Apoſtoli ad Timotheum: *Vt ſcias quomodo oporteat te converſari in Domo Dei vivi, Columna, & firmamentum veritatis*, ad noſtrum propoſitum addit: *Hic locus oſtendit, veritatem in Eccleſia perpetuò reſidère, & remanère, nec ab ea ſeparari poſſe ..... Integra, & incorrupta veritas reſidet tantùm, & perpetuò remanet in vera Eccleſia. Veritatem Eccleſia ſubſtentat, praedicat, & proponit aliis.*

1. Timoth. 3. verſ. 6.

Vuitacher. contr. 2 qu. 5. cap. 15.

LXVII. Quòd verò debeat affirmari ſecundum, Carnes nempè de naturâ ſuâ non eſſe vetitas, ſed ex arbitrio Eccleſiae praeſcriptas in Quadragèſimali jejunio, ultra quam quòd apud Matthaeum, dixerat Chriſtus Dominus: *Omne quòd intret per os, non coinquinat hominem*. Et Apoſtolus: *Nemo judicet vos ex cibo, & potu*. Et: *Omne quòd in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam* (quicquid in contrarium oblatrent Tatianiſtae, Manichaei, & Priſcillianiſtae, ut ſupra), non ſolùm deducitur ex Philoſophica regula: *Quòd ex duobus contradictoriis, unum debet eſſe verum, aliud falſum*. Sicque praeſuppoſito, quòd Eccleſia non poteſt errare prohibendo Aves, permittendo Piſces. Deſcendit in planam conſequentiam, quòd neque Piſces de natura ſua ſunt permiſſi, neque carnes vetitae. Sed evidentèr etiam patet ex eo, quia Scriptura, Concilia, Patres, Theologi, atque Controverſiſtae Omnes una mente, una voce proclamant, ciborum delectum ex Eccleſiae tantummodò authoritate pendère, quae juxtà temporis exigentiam uniuſque fidelium com-

Matth. 15. verſic. 17.

ad Coloſs. 2. verſ. 16.

1. Corinth. 10. verſ. 25.

Supra nu. 14.

complexioni illos accommodat: Haereticis tantummodò Aerianis, Euſtachianis, Lutheranis, atque Calvinianis proclamantibus, ac dicentibus: Eccleſiam non poſſe leges ferre de jejunio, & delectu ciborum, fideleſque non obligari ad hujuſmodi praecepta ſervanda, niſi fortè ratione ſcandali, & contemptus, ut videre eſt apud Bellarminum. Quando nos ex Actibus Apoſtolorum habemus, ipſos Chriſti Diſcipulos, fideique noſtrae Magiſtros, ad evitandum Gentilium ſcandalum, demandaſſe Orthodoxis abſtinentiam à ſanguine, & ſuffocatu, & quae Idòlis ſacrificabantur: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere, niſi haec neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis Simulacrorum à ſuffocato, & ſagimine*. Ex quo Concilium Trullanum injunxit: *Fidelibus, ut abſtineant ſicut ab omni mactabili, ſic ab Ovis, & Caſeo*. Similitèr, Concilium Tridentinum: *Hortatur*, inquit, *Sancta Synodus, & per Sanctiſſimum Domini Noſtri, atque Salvatoris Adventum Paſtores omnes obteſtatur, ut tanquam boni Milites illa omnia, quae Sancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum Magiſtra ſtatuit, omnique diligentia utantur, ut illis omnibus, & iis praecipuè ſint obſequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia*. Concilium Senonenſe, de anno 1528. celebratum, hanc eandem veritatem manifeſtavit, dicens: *Caeterùm, quò-ad ciborum delectum actinet, & jàm olim exolevit vetus illa Moſaycae legis ſervitus, quam umbra futurarum Apoſtolus appellat, nec aliquid commune dicendum ſit, aùt in mundum, nihil tamen ſanctiùs, nihil utiliùs potuit inſtitui, quò pruriens carnis laſcivia*

Bellarm. to. 3. lib. 2. cap. 7.

Actor. 15. verſic. 20.

Concil. Quiniſeſtum cap. 56.

Concil. Trid. ſeſs. 25. de Reformat. cap. 2.

Synod. Senon. in decreto Fidei can. 7.

via fraenaretur, quam ut jejunium, & ſtatutis ab Eccleſia abſtinentia diebus à Carnium cſu temperantes, cibis tantùm aridioribus veſcerentur. Neque profectò minor eſſe debet apud nos Sanctae Matris Eccleſiae authoritas, quam apud filios Rechab morituri Patris imperium, qui nè Patris edictum violarent, à vino perpetuò abſtinuerunt. Si quis igitur Aerianorum hujuſmodi errorem, mille ab hinc annis damnatum, & à Joviniano, & Vigilantio, Valdenſibus, Vuiclepho, Huſſitis, ac noviſſimis his diebus à Luthero, & Sequacibus ſuſcitatum ſecutus, Quadragèſimale jejunium, non tàm terrena cogitatione inventum, quam Coeleſti Maeſtate conſecratum, & caetera Eccleſiaſtica jejunia, vèl praeſcriptas à Patribus abſtinentias non obſervaverit, aùt non obſervandas duxerit, Sanctorum Conciliorum authoritate anathema ſit. Et Concilium Colonienſe, de anno 1536. habitum: *Eccleſia*, inquit, *veteris Legis, ac Apoſtolorum vivorum exempla ſecuta jejunia quaedam publica certis diebus indixit, jubens tùm à Carnibus abſtinere, & cibis aridioribus uti: Non quòd Carnes immundae ſint, ſed ut luxus temperetur.* Undè Gregorius Magnus, tanquam Eccleſiae Paſtor, & Pontifex juremeritò potuit dicere: *Par autem eſt, ut nos, qui his diebus à Carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quae ſementinam trahunt originem Carnis jejunemus, à Lacte videlicèt, Caſeo, & Ovis. Caeterum Piſcium ita Chriſtiano relinquitur, ut hoc ei in infirmitatis ſolatium, non Luxuriae pariat incendium.* Aſſerens etiam Dionyſius Patriarcha Conſtantinopolitanus in reſponſionibus ad Concilium Hieroſolimitanum: *Jejunia verò, & à quibuſdam cibis abſtinentiam conſtituere penès Eccleſiam eſſe profitemur,*

Concil.Colon. part.9. cap.5.

S.Greg. Epiſt. ad Auguſt.Angl. Epiſc.

Dionyſ Patriarcha apud Labbè tom.11. Concil.fol.279

mur, uti perpetuò apud nos in uſu extitiſſe comprobatur. Eccleſiae etiam tribuit hujuſmodi facultatem Baronius, dùm ait: *Sicuti enim ingluvies deteſtanda eſt ab omnibus, ita etiam ciborum abſtinentia fuit ſemper ab omnibus commendata: Quam ut magis, magiſque tanquam egregiam temperantiae, virtutumque aliarum multarum altricem, atque parentem, aſſequi valeamus, delectum quendam, atque diſcretionem putavit Dei Eccleſia adhibendam eſſe ciborum, illoſque ad eſum adhibens, qui viſi ſunt ad eam conſequendam magis accommodari: Illoſque rurſus pro tempore rejiciens exculentiores, cùm ſint majus, quam ad inſtitutum par eſſe videntur, nutrimentum afferant*. Cujus rationem aſſignat Theologorum Magiſter Divus Thomas: *Quia*, inquit, *ſicuti ad Seculares Principes pertinent praecepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his, quae pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus, ita etiam ad Praelatos Eccleſiaſticos pertinet ea ſtatutis praecipere, quae ad utilitatem communem fidelium pertinent in Spiritualibus bonis*. Eoque fortiùs, quia jejunium eſt opus Eccleſiaſticum ab Apoſtolis inſtitutum: Adeòque cibi in illius obſervatione non poſſunt de natura ſua eſſe vetiti, vèl permiſſi. Alitèr enim, non ſolùm in Quadragèſimâ, ſed etiam omni tempore eſſent interdicti, vèl conceſſi: Quia, *quòd de natura ſua eſt talè* (ex communi Scholaſticorum Axiomate) *ubicunque ponatur, ſemper eſt tale*.

Baron ad ann. Chriſt 57. numer. 190.

S.Thom. 2. 2. q. 147. art. 3.

LXVIII. Quapropter, ſi Cibi de ſui natura nullis ſunt legibus adſtricti, ſed tantummodò pendent ex arbitrio Eccleſiae, (quae noxia vetat, ſalubria permittit) recurrere ad primam animan-

tium originem, & per diverſas authoritates oſtendere, Piſces, & Aves fuiſſe aequalitèr ex Aquâ productas, pro eorum licita edacitate comprobanda in Quadragèſimâ, alienum prorsùs videtur à noſtro inſtituto, & Author qui hujuſmodi fallacibus ratiociniis innititur, cùm per eas nihil omninò probet in favorem aſſumpti Thematis, mereatur ut advertat, tanquam ſibi directum id, quòd

ad Coloſſ.2. verſ.8.

Coloſſenſibus ſcribebat Paulus: *Videte, nè quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionum hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum.* Parùm, aùt nihil relevando, quòd ſecum Sacram Scripturam afferat, quia non ſufficit in ſui favorem Scripturam adducere, ſed illam oportet benè applicare; ut de conſimilibus extorquentibus Scripturas pro ſuis conſtabiliendis Dogmatibus quaerebatur

S.Clemens in Can. *Relatum* diſt.37.

olim S.Clemens, Petri Diſcipulus, dicens: *Relatum eſt nobis, quòd quidam in veſtris partibus commorantes adverſantur ſanis Doctrinis, & proùt eis videtur, non ſecundum traditiones Patruum, ſed juxtà ſenſum ſuum docere videntur: Multas enim quidem, ut audivimus, veſtrarum partium ingenioſi homines (N. B.) ex iis, quae legunt veriſimilitudines capiunt: Et ideò diligentèr obſervandum eſt, ut lex Dei, cùm legitur, non ſecundum proprii ingenii intelligentiam legatur, vèl doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis Divinis, quae poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem unuſquiſque ſpontè praeſumpſit, ſed fieri non oportet. Non enim ſenſum, quem extrinſecè adulteratis, alienum, & extraneum debetis quaerere, aùt quoquo modo ipſum authoritate Scripturae, confirmare, ſed ex ipſis Scripturis ſenſum capere veritatis:*

tatis : Et ideò oportet ab eo intelligentiam diſcere Scripturarum , qui eam à majoribus ſecùm veritatem ſibi traditam ſervavit , ut ipſe poſſit ea , quae rectè ſuſcepit competentèr aſſerere .

LXIX. Et nil mirum , ſi noſter Author nimis ſuo ingenio fretus in hunc inciderit errorem , ut loco liciti eſus Avium in Antepaſchali jejunio (ſicuti promiſerat à principio) inveniatur tantummodò demonſtrare , Aves ab Aqua ſuam cognoſcere originem , quia communes ſunt illis ſcopuli , qui de novitate ſententiae gloriam ſibi captare cupientes , ſinè Praeceptore , ſinè Magiſtro , ex proprio marte , propriavè ſententia inauditas adſtruunt quaeſtiones, novaſque adinveniunt Doctrinas , dicente nimis egregiè , ſatiſque luculentèr ad hoc propoſitum Sanctus Leo Papa : *In hanc inſipientiam cadunt , qui ad cognoſcendam veritatem, cum aliquo impediantur obſcuro , non ad Propheticas voces , non ad Apoſtolicas literas , non ad Evangelicas authoritates , ſed ad ſe recurrunt ; & ideò Magiſtri erroris exiſtunt , quia veritatis Diſcipuli non fuerunt .* Quando poſt Salomonem dicentem : *Ne innitaris prudentiae tuae , ne ſis Sapiens apud temetipſum ;* etiam Chriſtus Dominus , qui erat veritas , & via , nulloque errori ſubjectus , in rebus Fidei, & morum nihil à ſemetipſo loquebatur , ſed aſſerebat : *Ego ex meipſo non ſum loquutus , ſed qui miſit me Pater , ipſe mihi mandatum dedit , quid dicam , & quid loquar . Et ſcio quòd mandatum ejus vita aeterna eſt . Quae ergo ego loquor , ſicùt dixit mihi Pater, ſic loquor .* Sicuti de Spiritu Sancto, quem in Apoſtolos miſſurus erat alibi dixerat : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis docebit vos , omnem veritatem ;*

S.Leo I.Epiſt. 10. ad Flavianum Imper.

Prov.3. verſ.5.

Joann. 12. verſic.44.

Ibid.12. verſ.5.

tatem ; non enim loquetur à ſemetipſo , ſed quaecumque audiet loquetur . Et de Apoſtolis , nihil ex proprio dixiſſe , Author eſt Tertullianus , ſcribens : Tertull. lib. de Praeſcrip. *Apoſtolos Domini habemus Authores , qui nec ipſi quidem , ex ſuo arbitrio , quòd inducerent , elegèrunt , ſed acceptam à Chriſto Diſciplinam fidelitèr Nationibus tradiderunt .* Hanc planam , & tutam etiam ſequebatur viam Auguſtinus , dùm diſputans contra Julianum , ex Authoritatibus Cypriani , Ambroſii , Hierònymi , Chriſoſtomi , Nazianzeni , S. Augu. lib. 1. contr. Julian. Hilarii , & aliorum victoriam de ipſo canebat: *Illos* , inquit , *ſecutus ſum , quòd ſenſiunt ſentio , quòd tenent teneo , quòd praedicant praedico : Quis te non videat apertum in me jactare convicium , de illis occultum quidem, ſed ſimilè habere judicium . . . . . Facturum me promiſi , ut Catholicorum , qui fuerunt ante nos Epiſcoporum ſententiis , quaſcumque rebus , de quibus agitur congruentes potero repetere , vitreas argutias tuas , & fragilia , quibus tibi multùm videris acùtus , & nitidus argumenta confringam .*

LXX. Deſcendentes deindè magis ſtrictè in arenam cùm ipſo Authore , lubet modò videre , ſi etiam ſtante falſa ſuppoſitione , quòd ea , quae educuntur ex aqua ſint permiſſa in diebus jejunii , illius rationes ſic evidentèr concludant , an potiùs probabilem faciant ſententiam , ut parùm ſaltem, ſi non nihil probet id , quòd probandum aſſumit . Et quidem magna vis ejus argumenti fun- Supra num. 6. datur , ut dicebamus , in authoritate Scripturae , ex quà Aves una cùm Piſcibus ex aqua productae quinta die noſcuntur . Legitur enim in libro Ge- Geneſ. 1. verſic. 20. neſis : *Dixit etiam Deus , producant aquae reptile animae viventis , & Volatile ſuper terram .* At re-

vera

vera haec ſententia non eſt ita firma, & tuta, ut ſuas non patiatur difficultates, ſuoſque non habeat contradictores. Nàm aliae *Verſiones* alitèr legunt: *Hebraica* etenim Lectio, ita habet: *Repere faciant aquae reptile animae viventis, & Volatile volet ſuper terram, ſuper faciem expanſi Coelorum*. Paraphraſis autem Chaldaica paritèr legit: *Movère facient aquae reptile animae viventis, & Avis volitet ſuper Terram, ſuper faciem expanſi Coelorum*. Verſio Perſica-Latina, apud Joannem de la Haye itidem dicit: *Poſteà dixit Deus, repere faciant aquae reptile animae viventis, & Volatile volet ſuper faciem expanſi Coeli.* Quibus ſe aſcribit Arias-Montanus, dicens: *Et volatile volet ſuper terram*. Ut verſio Sancti Pagnini: *Repere faciant*, ait, *aquae reptile, & Volatile volet in ſuperficies firmamenti*. Cajetanus paritèr vertit: *Reptificabunt aquae animae vivae, & Volatile volabit ſuper facies extenſionis Coelorum*. Quibus addendus eſt etiam Vatablus, dùm legit: *Volatilia volitant coram expanſione*, vèl *ante conſpectum expanſionis Coelorum*. Sicuti apud Targum Onkelos habetur: *Et dixit Deus, movere faciant aquae . . . ., & Avis volitet juxtà faciem expanſi Coelorum*. Quibus verſionibus (necnon & Textui Latino cap. 2. ubi Moyſes, juxtà omnium verſionem, ait: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & univerſis Volatilibus Coeli, adduxit ea ad Adam*), innixi nonnulli ex Sacris Expoſitoribus, in contrarium ſenſum abierunt, Aves nempè ex terra tenentes, non ex aqua fuiſſe productas. Hujoſmodi enim ſunt Lippòmanus, Cajetanus, Catherinus, Vuielmius, Rabbini, Eugubius, & Oleaſter, ut vide-

re

Hebraic. Text.

Paraphr. Chaldaic.

Verſio Perſ. apud de Haye.

Verſ. Arias Montani.

Sancti Pagn. verſio.

Cajetan. verſio.

Verſ. Vatabli.

Targ. OnKel.

Geneſ. 2. verſic. 19.

Salian.in Annal. Vet. Teſt. to.1. die Mundi 5. num.10. Perer.in cap.1. Geneſ.

re eſt apud Salianum. Quibus adde Pererium ad hanc inclinantem ſententiam, dùm ait: *Ab hac communi ſententia* (quòd Aves ſcilicèt ſint ex aqua deductae) *Cajetanus, Catherinus, atque Hierònymus, Vvielmus lectione 22. in examine, diſceſſerunt, nec ſanè inſcientèr, aùt temerè: Siquidem tùm in Textu* Hebraico, *tùm in Paraphraſi Chaldaica, multo ſecùs eſt hoc loco, quam in Latina Verſione, & longè diverſa redditur ſententia:* Hebraica *quidem ſi latinè reddantur, ad verbum hoc ſonant: Repere faciant aquae reptile animae viventis, & Volatile volet ſuper terram, ſuper faciem extenſionis Coeli. Paraphraſis Chaldaica ſic habet: Movère faciant aquae reptile animae viventis, & Avis volitet ſuper terram, juxtà faciem expanſi Coelorum. Hinc apparet, Moyſen hoc loco non tractare, Aves ex aquis eſſe productas: Quinimmò eas ex terra eſſe factas, apertiſſimis verbis docet ipſe cap. 2. hujus libri, in quo tàm* Hebraicè, *quam Chaldaicè, Graecè, Latinè, ita legitur: Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & univerſis volatilibus Coeli, adduxit ea ad Adam, & quae ſequuntur. Ex quo percipitur, Aves ſimilitèr, ut terreſtras animantes è terra eſſe generatas, &c.* His etiam acceſſit Doctiſſimus Eſtius, concilians Vulgatam verſionem cum Hebraico Textu: *Diſputatur*, inquit, *an Aves etiam de aqua factae ſint? Et videtur, quòd non, nàm ſic legitur in capite ſequenti verſ. 19.: Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & univerſis Volatilibus Coeli, &c. Itaque de humo, ſeù terra facta ſunt Volatilia, ſeù Aves, non ex aquis. In contrarium tamen facere videntur iſta verba hoc cap. 1., ubi Moyſes ſcribit Deum dixiſſe:*

Eſtius in cap. 1. Geneſ.

Pro-

Producant aquae reptile animae viventis , & volatile ſuper terram . Sed ſciendum eſt in Hebraeo, etiam in Bibliis Regiis, pleniùs hoc pacto legi : Reptificent , ſeù repere faciant aquae reptile animae viventis, & volatile volet ſuper terram , ſecundum faciem firmamenti Coelorum. Cui lectioni & noſtra poteſt conformari , ſi illud Volatile , ſit nominativus caſus , quaſi dicatur , & ſit Volatile ſuper terram : Nempè ut diviſim haec accipiantur, producant aquae reptile animae viventis (nempè Piſces, qui repere dicuntur, quia pedes non habent , & tamen progrediuntur) , & praetereà ſit Volatile ſuper terram , id eſt prodeant , & Volatilia , ſeù Aves , formatae tamen de humo , ſeù terra , &c. Neque relinquendus eſt Joannes Gerardus Voſſius (ex quò ad litteram nonnullas Phiſiologicas rationes exaravit Author *Diſſertationis* , ut paulò inferiùs adnotabimus), qui poſtquam contrariam retuliſſet opinionem , illamque ad ſufficientiam confutaſſet, addit ad propoſitum: *Quemadmodum aſſentimus Ruperto , Cajetano, Catherino , qui terram eſſe Avium matricem arbitrantur . . . . Proque opinione hac multa etiam ex rerum natura poſſunt adferri . Aves quippè omnes , ſi paucas , quae natare ſciant exceperis , ſolis gaudent terris. In his quieſcunt , dormiunt , nidificant . Nec diffiteor aliquas Piſcibus vivere : Sed longè plures carne , frugibus , ſemine , arborum fructibus alias , quae terrae debeantur. Atqui in eo conſenſiunt Medicorum filii, illo quodque nutriri, undè originem trahit. Adde, quòd Avium quorundam , ut Vulturis , & Accipitris craſſa , ſicca , duraque adeo eſt caro , ut hac parte ſuperet Ovillam . Quarè non video , quomodò Ovilla ſit terreſtris , illa Vulturum, vèl Accipitrum non ità .* Sicque fundamentum

Infr. num.98.

Voſſius lib. 3. de Orig. , & progr. Idolatriae cap.78.

mentum Authoris; quòd Aves ſint ex Aquâ productae, nec etiam ex hoc capite eſt ita abſolutè, & ſimplicitèr verum, quin non valeamus in oppoſitam ſententiam declinare.

LXXI. Scio tamen ipſum *Diſſertationis* Authorem hujus validae reſponſionis pondere praexum, triplicitèr contra Cajetanum inſurgere, dicendo: *Adversùs autem haec, quae hactenùs diximus minimè penſi habendum, quòd Catherinus, & Thomas de Vio, aliique recentiores Critici commentati ſunt circa adlata Moyſis verba Geneſis* 1.20., *quòd ſcilicèt in ejus lectionis mendum irrepſit, ſicque pro ſe Hebraicam trahunt lectionem, Chaldaicamque etiam torquent, & ita legunt: Producant aquae reptile animae viventis, & volatile volet ſuper terram, uti vertit Pagninus verbo producant, eximunt Volatilia, &c.* Quòd triplici ratione confutare conatur, ut ſeparatim examinabimus. Quarum duas priores à Joanne Euſebio Nierembergo tranſcripſit Author iſtius *Diſſertationis*, ubi ille ait: *Scio eſſe, qui contra putat. Ne tamen contra Moyſis conteſtationem corrigant textum, quaſi expiaturi, quòd irrepſiſſet, & ſuſpicantur mendum lectionis. In ſuffragium ſuum Hebraicam trahunt, Chaldaicam etiam torquent dùm ita legunt: Producant aquae reptile animae viventis, & Volatile volet ſuper terram. Verbo producant, eximunt Volatilia. At ipſos rogo, undè ſciunt peccaſſe Latinam, Graecamque Septuaginta verſionem, quarum in Eccleſia authoritas major, & non potiùs corruptam Hebraicam ab infidis Rabbinis? Praetereà non urget iſta lectio, ut minus aquis debeamus Volucres, non enim negat ipſarum matricem humorem fuiſſe, nec aliam memorat, aùt igitur negligentiae Diligentiſſimus eſt Moy-*

Author Diſſer. fol. 20.

Euſeb. Niere mb. lib. 4. Hiſtor. cap. 13.

Moyſes accuſandus, aùt liquòri danda erant volatilia. Haec Euſebius. Quae dicebam, optimè coincidunt cùm duabus primis rationibus hic ab Authore *Diſſertationis* praeinſertis, ut legenti ultrò patebit; non obſtante, quòd de Euſebio nullam ipſe faciat commemorationem, ſicuti in tertia ratione praemiſit illam fuiſſe ex Natali ab Alexandro tranſcriptam.

LXXII. Sed ut minutatim ſingulis quibuſque hujuſmodi tribus oppoſitionibus obvièmus, dicimus in primis; neque Cajetanum, & Catherinum (quos hac nota multi adurunt), neque aliquem alium ex ſupracitatis Doctoribus, qui favore hujus ſecundae ſententiae militare videntur, unquam dixiſſe, in Vulgata Editione mendum irrepſiſſe, uti hic contra Cajetanum, & Catherinum inſurgit Author *Diſſertationis*; nàm Cajetanus tantummodò legit: *Ex eo autem, quòd ſubdit, Volatile volabit, excluditur ſenſus Vulgatae Editionis ſonantis, quòd aquis datum eſt producere etiam Volatilia, tacet enim hic Moyſes productionem Volatilium, quòd inferiùs in 2. capite explicabit, motum tamen cùm loco hic explicat; motum quidem progreſſivum naturalem dicendo, Volabit, locum autem motus dicendo, ſuper Terram, ſuper facies extentionis Coelorum. Junxit autem Moyſes Piſcibus Volatilia, non ratione productivi unius (cujus oppoſitum inferius explicatur), ſed ideò sùb uno, eodemque die comprehendit, quia tàm Piſces, quam Volatilia ex univerſo ſuo genere ſunt animalia imperfecta, &c.* Cajetan. in cap. 1. Geneſ. Et Catherinus habet: *Illud etiam juxtà Vulgatam editionem movet, quonam modo Volatile producatur ex Aqua? Quamquidem dubitationem* Hebraica veri- Ambroſ. Cather. in cap. 1. Geneſ.

tas reſolvit, quae non dicit: Producant aquae Volatilia, ſed Volatile volet ſuper terram. Etenim ubi haec facta fuiſſe narrantur, cautè non admiſcentur Volatilia inter ea, quae ex aquis producta ſunt. Inferiùs autem numerantur Aves inter animantia terrae; ait enim: Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & univerſis Volatilibus Coeli, &c. Ex quo nullum poteſt colligi convicium contra Vulgatam editionem: Adeòque immeritò temeritate ſignantur Catherinus, & Cajetanus, quaſi quòd dixiſſent: *Mendum irrepſiſſe in Vulgata Editione* (quae revera ſtante etiam Decreto Concilii Tridentini eſt magis purgata, atque authentica inter omnes alias Verſiones), cùm tantùm Cajetanus dicat: *Excluditur ſenſus Vulgatae editionis.*

LXXIII. Deindè, ad primam oppoſitionem reſpondendo, in quà ſic ait noſter Author: *Primo quia à praefatis Doctoribus ſcire vellem, undè habent peccaſſe Latinam, Graecamque LXX. verſionem, quarum in Eccleſia authoritas major, & à SS. Patribus communitèr amplectitur, quaque uſi ſunt etiam Apoſtoli, Graeca nimirùm, ut erudititiſſimè oſtendit Ludovicus Cappellus in appendice ad ſuam Sacram Criticam in quaeſtione de Locis parallellis Veteris, & Novi Teſtamenti, & non potiùs corruptam Hebraicam ab infidis, & perfidis Rabbinis? ut latè probent Doctiſſimi viri Morinus in exercit. Biblic., & Iſaacus Voſſius in Diſſertat. LXX. Interpret., &c.* Dicimus in primis, nullum ex noſtratibus aſſerere *peccaſſe Latinam Verſionem*, ut mox annotabamus de Cajetano (cui hoc tribuunt etiam Cornelius à Lapide, & Joannes de là Haye). Deindè ſi velit ſcire ipſe,

Author Diſs. fol. 20. & 21.

qua-

quare potiùs Textui Hebraico ſtandum eſt, quam vulgatae Editioni, dicimus primo, quia Textui Hebraico faciunt non ſolùm Chaldaica Paraphraſis, & tot aliae Verſiones, ut ſupra notabamus, Supra nu. 70. ſed etiam conſonat ipſa Vulgata Editio, tùm in capite ſequenti, ubi ait: *Aves ex humo fuiſſe productas*, tùm hic in capite primo, juxtà Gloſſam praelaudati Eſtii. Quandò Vulgatae Editioni, non ſolùm contradicit Textus Hebraicus (ex quò ſumpta eſt Vulgata), ſed etiam ipſamet Vulgata videtur ſibi opponi; nàm in praeſenti ait; *Aves fuiſſe ex aqua productas*, & in capite ſequenti vult: *Illas fuiſſe ex humo procreatas*. Deindè, quia S. Hierònymus Doctor maximus in exponendis Sacris Scripturis, monet nos in rebus dubiis ad fontem Habraicum habere recurſum: *Sicuti*, inquit, *in novo Teſtamento, ſi quando apud Latinos quaeſtio exoritur, & eſt inter Exemplaria varietas, recurrimus ad fontes Graeci Sermonis, quò novum ſcriptum eſt Teſtamentum, ita in veteri Teſtamento, ſi quando inter Graecos, Latinoſque diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficiſcitur, hoc quaeramus in rivulis.* Undè etiam Bonfrerius aſſerebat: *Hebraicus Textus plurimùm prodeſt, ſivè ad menda, quae in Latinam verſionem incuria irrepſerint corrigenda, ſivè ad vocem, ſententiamque in Latino, Codiceque Graeco ambiguam enodandam, ſivè ad ſingulorum verborum, totiuſque ſententiae vim meliùs percipiendam, ſivè ad diverſos ſenſus literales eruendos, qui iiſdem apicibus Hebraeis latere poſſunt, quos una ſua verſione Latinum, Graecumque Idioma exprimere non poteſt, ſivè ad nova aliqua ſenſa, myſteriaque, arcana detegenda, ad quae*

S.Hieron. Ep. ad Junian.

Bonfrer. cap. 12. Prolegom. ſect. 3.

Interpretes, Concionatoreſque ducunt. Tertio, quia ut dicit Divus Thomas in rebus indifferentibus, quae neque Mores reſpiciunt (uti eſt caſus in praeſenti; nihil, aùt parùm relevando, an Aves ſint ex Aqua, vèl ex Terra productae), Scriptura poteſt intelligi juxtà Doctorum placita: *Diverſae*, inquit, *opiniones Doctorum Sacrae Scripturae, ſi quidem non pertinent ad fidem, & bonos mores, abſque periculo Auditores utramque opiniones ſequi poſſunt: Tunc enim habet locum, quòd Apoſtolus dicit ad Romanos* 14., *unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*. Nihil ex oppoſito refragante Concilio Tridentino circa explicationem Sacrae Scripturae juxtà Patruum ſententias; quia Concilium loquitur de Sacrâ Scripturâ in materia fidei, & morum(ut infra), non autem de rebus indifferentibus, uti eſt quaeſtio in praeſenti. Sicque cùm Textus Hebraicus ſit roborátus à Textu Latino, nil proinde mirùm ſi ſtandum putant noſtri Interpretes potiùs Hebraico ſenſui, quam verſioni Latinae. Maximè quia potiùs rationi conſentaneum videtur aſſerere, Aves ex terra fuiſſe productas, in qua ſuas exerceant operationes, quam procreatas ex Aquâ, cùm qua nihil ampliùs habent commune.

S.Thom.Quolib.3. art.10.

Infr. num.84.

LXXIV. Ad falſitatem, quam aſſerit adeſſe in Hebraico Textu ex Rabbinorum malitia, & laudem Verſionis LXX., utpotè ab Apoſtolis uſitatae, & ſi comparationes de natura ſua ſint odioſae, nihilominùs dicimus, quòd caeteris paribus, majoris videtur authoritatis, ac veritatis ipſa Hebraica Editio, quam Graeca LXX. (praeſcindimus enim à Latinâ Verſione, quae ſolùm, ut authentica fuit ab Eccleſiâ approbata), nàm de

ver-

verſione LXX. negari non poteſt, illam fuiſſe corruptam tempore Hierònymi, qui ſcribens ad Chromatium dixit: *Si LXX. Interpretum pura, & ut ab eis in Graecum verſa eſt Editio permaneret, ſuperfluè me Chromati Epiſcoporum Sanctiſſimè, atque Doctiſſimè impelleres, ut Hebrea volumina tibi latino ſermone transferrem.* De Hebraico autem Textu, ex quo ipſe traduxit Vulgatam hoc non dixit Hierònymus, ſed magis oppoſitum, illum ſcilicèt à corruptione vindicando, cùm alibi aſſerat: *Si quis dicat Hebraeos libros à Judaeis eſſe falſatos, audiat Origènem quid in octavo volumine explicationum Iſajae huic reſpondeat quaeſtiunculae, quòd nunquam Dominus, & Apoſtoli, qui caetera arguebant crimina in Scribis, & Phariſeis, de hoc crimine, quòd erat maximum reticuiſſent: Si autem dixerint poſt Adventum Domini, & praedicationem Apoſtolorum libros eſſe falſificatos, cachinnum tenere quis poterit? Ut enim Salvator, & Evangeliſtae, & Apoſtoli ita teſtimonia pertulerint, ut Judaei falſaturi erant?* Ubi non ſolùm aſſeritur, Textum Hebraicum fuiſſe incorruptum tempore ipſius Hierònymi; ſed etiam teſtimonia ipſius Hebraici Textus fuiſſe à Chriſto, Evangeliſtis, & Apoſtolis citata. Neque videtur credibile, Judaeos poſt Salvatoris Aſcenſum in toto Orbe diſperſos, in unum potuiſſe conveniri pro omnium falſificatione Voluminum, quae unuſquiſque ſecum retinebat; juxtà Auguſtinum: *Quòd nullus Prudens debet credere Judaeos tàm longè, latèque diſperſos conveniſſe, & conſpiraſſe, ut dùm aliis invidebant Scripturis, ipſi ſe privarent veritate.*

S Hiero. praefat. in Paralip.

Idem in cap. 6. Iſajae.

S. Aug. lib. 15. de Civit. Dei cap. 13.

LXXV. Multòque minùs poſt Hierònymum de-

debet dici corrupta Hebraica Editio (quicquid ſit de Ammanuenſium inſcitia, Scriptorumque negligentia in aliquibus punctis, apicibus, ac literis inadvertentèr falſatis: De quibus ad ſummum poſſunt intelligi, ſi contrariae forſitan adferuntur authoritates, quae in aliquibus tantummodò Codicibus non autem in omnibus potuiſſent Hebraicae Editioni crimen inferre) non ſolùm patet ex ſupradictis rationibus, quia non videtur quando potuiſſent, & ob quem finem inter ſe convenire Judaei pro Sacrorum corruptione Voluminum, ſed etiam quia, ut advertit Doctiſſimus Joannes Driedo, moderniores Hebraeorum Codices omninò vetuſtis correſpondent voluminibus: *Conſervantur*, inquit, *in hunc uſque diem apud Eccleſiam Chriſti vetuſtiſſimi Hebraeorum, & Graecorum Codices, quibus Hebraei, & Graeci nunc utuntur. Deindè in recenſioribus Hebraeorum libris caſtigatis, & emendatis reperiuntur teſtimonia ſic ſcripta quemadmodum fuerunt ab antiquis Eccleſiae noſtrae Patribus. Conferentes recenſiorum Codices ad veterum Catholicorum commentaria, in his praeſertim locis, quibus ſignificantur Fidei noſtrae myſteria, reperimus eos cùm vetuſtiſſimis ſuis ipſorum exemplaribus convenire*. Undè, juremeritò Bellarminus, poſtquam Textum Hebraicum à falſitatis calumnia purgaſſet, adnotaſſetque ibi quaedam tantummodò reperiri puncta ex Ammanuenſium inſcitia, quae in diverſum poterunt ducere ſenſum, ſic concludit: *Caeterum non tanti momenti ſunt hujuſmodi errores, ut iis quae ad Fidem, & bonos morès pertinent Scripturae Sacrae integritas deſideretur: Plerumque enim tota diſcrepantia variarum lectionum in dictionibus*

Dried. lib. 2. de Dogm., & Scrip. Hebraic. Text.

Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 2.

nibus

nibus quibuſdam poſita eſt, quae ſenſum aùt parum mutant, aùt nihil. Errores autem, qui additione punctorum acciderunt nihil omninò veritati officiunt: Puncta enim extrinſecùs addita ſunt, nec Textum mutant: Itaque poſſumus, ſi velimus puncta detrahere, & alitèr legere. Haec in favorem Hebraici Textus. Reperiat modò noſter Author conſimilia, atque hujuſmodi luculentia teſtimonia pro ſuâ Graecâ verſione, & poſteà de paritate Graeci, & Hebraici Textus ad novum ſermonem devenièmus letanter.

LXXVI. Quòd autem dicit Verſionem Graecam LXX. Interpretum fuiſſe ab Apoſtolis uſitatam, nos non ambigimus, ſed ultrò damus manum; per hoc tamen non excluditur Hebraicus Textus Chriſto Domino tàm familiaris, ut in diſputationibus, & Synagogis illo ſemper uſus fuiſſet, ſicuti non ſolùm oſtendunt ſupra citata teſtimonia Hierònymi, & Origènis, ſed etiam ex aliis Scripturae locis, & ex authoritatibus Auguſtini, & Ambroſii, concludit Joannes de la Haye, dicendo: *Confirmatur ex Auguſtino Epiſtol.* 19. *ad Hierònymum dicente: manifeſtum etiam eſt, quòd Chriſtus, & Apoſtoli non levitèr aeſtimabant Sacras Scripturas, utique Hebraicas, quae citàre ſolebant. Chriſtus enim ex illis ſe eſſe Meſſiam oſtendebat Diſcipulis in itinere Emmaus, nec aliud afferebat teſtimonia. Chriſtus ergo ſuo ore Sacratiſſimo affirmat, & declarat, Textum Hebraicum Scripturae eſſe Authenticum: Et ideò tanta reverentia ferebatur erga Sacram Scripturam, ut non fuerit dedignatus, Lucae* 14., *Synagogam frequentare, ut Scripturam Divinam audiret, & perlegeret: Et intravit ſecundùm conſuetudinem*

Supr. num. 74., & 75.

Joann. de la Haye in Prolog. Bibliae ſect. 16. cap. 2.

dinem Sabbati in Synagoga, & ſurrexit (utique pro Sacrae Scripturae reverentia) legere, & traditus eſt, ubi ſcriptum erat Spiritus Domini ſuper me: Ex quo loco probat ſe eſſe Meſſiam. Non aſpernatus eſt, inquit, Sanctus Ambroſius Lectoris officium, ut quos miraculis anteà converterat, authoritate Scripturae corrigeret. Judicans majorem fuiſſe authoritatem Scripturae apud Judaeos, quam miraculorum, ut non mirum ſit, quòd Joannes 5., Chriſtus Dominus Judaeos remittat ad Scripturam Sacram, veluti ad regulam veritatis. Ille. Quibus ſtantibus, immeritò Author *Opuſculi* in ſua *Diſſertatione* contemnit, falſamque appellat Hebraicam Editionem ad hoc, ut tantummodò ſuam poſſit tutari concluſionem, quòd Aves ab Aquâ ſumpſerint originem.

LXXVII. Secundae autem reſponſioni, in quâ ipſe ſic ait: *Secundò non urget praeaſſerta lectio, ut minus aquis debeamus Volucres; non enim negat ipſarum matricem aquam fuiſſe, nec aliam memorat: Aùt igitur negligentiae Diligentiſſimus eſt Moyſes accuſandus: Aùt aquae danda ſunt volatilia.* Huic, inquam, ſecundae reſponſioni facientes ſatis dicimus, quòd illa in praeſenti non meretur attendi: Quia Moyſes jàm dixit ex quà materia (nempè ex terra) fuerint Aves productae: Et ſi illud reticuiſſet, nec etiam eſſet negligentia redarguendus. Quòd autem illud dixerit, patet ex cap. 2. Geneſis, ubi cubitalibus literis habetur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & univerſis volatilibus Coeli, adduxit ea ad Adam, &c.* Necnon illud expreſſit in hoc eodem primo capite per illa verba: *Producant Aquae reptile animae viventis, & volatile ſuper terram*; quae, juxtà

Author Diſſ. fol.21.

Geneſ.2. verſic.19.

Geneſ 1. verſic.20.

juxtà Gloſſationem Eſtii, hunc faciunt ſenſum: *Et ſit Volatile ſuper terram, nempè ut diviſim haec accipiantur, producant aquae reptile animae viventis (nempè Piſces, qui repere dicuntur, quia pedes non habent, & tamen progrediuntur), & praetereà ſit Volatile ſuper terram; id eſt, prodeant, & Volatilia ſeù Aves; formatae tamen de humo, ſeù terra.* Cui etiam correſpondet Gloſſatio Pererii, qui poſtquam retuliſſet Cajetani ſententiam, addit: *Quarè ut hanc ſententiam, quae veriſſima eſt, etiam latina translatio exprimat, cùm dicit hoc loco, producant aquae reptile animae viventis, & Volatile ſuper terram; in illo, & Volatile, non eſt intelligendum repeti illud producant aquae, quemadmodum plerique exiſtimant, ſed ſupplendum eſt verbum volet, ſicuti habet* Hebraica, *& Chaldaica lectio. Nàm ſi repeteretur, & intelligeretur verbum illud producant, inepta profectò redderetur ſententia: Quomodò enim produceret aqua Avis ſuper terram, quae aquis ſupereminet? Et quorſum producant aquae sùb firmamento Coeli? An non etiam Piſces, & caeterae animantes ſunt sùb firmamento Coeli? Si autem intelligeretur verbum volet, quòd eſt in* Hebraeo *rectiſſima, & pleniſſima ſententia.* Quòd ſi huic peroptimae Gloſſationi nolimus ſtare, ſed lubet ulteriùs inquirere, quarè in hoc capite primo non expreſſit Moyſes, Aves ex terrâ fuiſſe productas, ſicuti dixit, Piſces fuiſſe ex aquâ procreatos? Reſpondet idem Perèrius, dicendo: *Huic dubitationi ſic occurritur: Tacuit quidem Moyſes hoc loco Aves è terra eſſe factas, verùm id apertè docuit infra cap. 2. Cùr tacuit vix conjectura ulla, ne divinando quidem attigi poteſt. Fortè noluit productionis animalium ex terra*

Eſtius ſup. numer. 57.

Perèr. in eod. cap. 1. Gen.

Idem ibidem.

menſionem facere ante diem ſextum ; quò videlicèt principalis animalium è terra productio eſt facta ; eòdemque die cunctorum animalium Princeps factus eſt homo .

LXXVIII. Deindè, etiam ſi illud M. y ès reticuiſſet, nullatenùs eſſet negligentia taxandus, ut vult Author *Diſſertationis* (& ante ipſum Joannes Euſebius Nierembergus, cujus eſt literaris oppoſitio). Nàm etiam ſilentiò praeteriit Creationem Angelorum, ut communis, & concors eſt Patruum ſententia cùm Barcepha Syri Epiſcopo, dicente : *Angelorum nulla eſt à Moyſe facta menſio ad Agaris uſque aetatem, ne Judaei ſuſpicarentur plures eſſe Deos.* Quando Divus Thomas cùm reliquis docet, hujuſmodi fuiſſe creatos in principio Mundi, aſſerendo : *Communitèr dicitur quatuor eſſe prima creata, ſcilicèt naturam Angelicam, Coelum Empireum, materiam corporalem, & tempus.* Quòd etiam de Fide decrevit Concilium Lateranenſe IV. sùb Innocentio III. : *Firma*, inquit, *Fide credendum eſt, Deum ab initio temporis ſimul utramque de nihilo condidiſſe naturam Spiritualem, & Corporalem, Angelicam, & humanam.* Et tamen hac reticentia de Creatione Angelorum non obſtante, nullus inventus eſt Author, qui Moyſem de negligentia ſugillaverit. Scientes quòd Moyſes fuit ſcriba tantummodò Sancti Spiritus, qui verba omnia ſicuti voluit dictavit, juxtà Principis Apoſtolorum aſſertum : *Non enim voluntate humana allata aliquando eſt Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirante locuti ſunt Dei homines.* Secundum quòd, non ſolùm dicebat Propheta David : *Lingua mea calamus ſcribe, velocitèr ſcribentis* (nimirum Spiritus San-

Barcephas de Parad. part. 1. cap. 27.

S. Thom. 1. p. q. 66. art. 4.

Concil. Later. IV. Can. 1.

2. Petri cap. 1. verſ. 21.

Pſal. 44. verſ. 2.

Sanƈti). Sed etiam affirmabat Author librorum Regum: *Spiritus Dominus locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam.* Aſſerente etiam Baruch: *Ex ore ſuo loquebatur, quaſi legens ad me omnes ſermones iſtos, & ego ſcribebam in volumine atramento.* Undè concluſit Procopius: *Prophetae Spiritui Sancto linguam, quaſi calamum praebent excellentiſſimo Scribae.* Sicque cùm Moyſes non fuiſſet Author, ſed Scriba Geneſis, non eſt cur in negligentiam ei tribuenda eſſet reticenſia productionis Avium è terra: Cùm hujus myſterii theſaurus fuiſſet penès Spiritum Sanƈtum, qui non dependet ab hominum cenſura in operationibus ſuis.

2. Regum 23. verſ. 2.

Jerem. cap. 36. verſ. 18.

Procop in Geneſis, ...

LXXIX. Tertio loco noſter Author affert Natalem ab Alexandro, ſic ſententiae Cajetani occurrentem: *Tertio quia* (ſunt verba *Diſſertationis*), *ut ſcitiſſimè notat Vir famigeratiſſimus Natalis Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſt. veter. teſtam. Diſſert. prima de opificio ſex dierum art. 6. propoſ. unic.. In praecitato Textu Hebraeo Elipſim relativi pronominis ibi ſupplendam Viri Hebraicè Doƈtiſſimi exiſtimant: Et Volatile quòd volet ſuper terram. Quòd Latinus Interpres poſt LXX. Interpretes ſupplevit, ita vertentes Producant Aquae reptilia animarum viventium, & Volatilia volantia ſuper terram, ſecundùm firmamentum Coeli. Supplevit & Targum Onkelos: Et dixit Deus ſerpant aquae reptile animae viventis, & Avem, quae volet ſuper terram, &c.... Neque his contrarium eſt, quòd ſecundo Geneſios capite Moſes ait: Formatis igitur de humo cunƈtis animantibus terrae, & univerſis Volatilibus Coeli, &c. Nihil enim cogit haec verba: Et univerſis Volatilibus cùm illis neƈtere de humo, cùm ad vocem formatis commodè referantur;*

Author Diſſer. fol. 21.

tur; utrùmque enim formatum eſt. Sed animantia terrena de terra, Volatilia autem aliundè, ſcilicèt ex aquis. Vèl Terrae nomine aquae etiam intelliguntur, quae unum cùm ipſa componunt Orbem. Ita hunc locum exponit S. Auguſt. lib. 9. de Geneſ. ad literam cap. 1.

LXXX. Sed huic difficultati faciliùs reſpondetur, quaerendo in primis à Patre Natali, & in P. Natalem à noſtro Authore, quare in Textu Hebraico ſupplenda eſt *Ellipſin* relativi pronominis, *quòd*, & legere: *Et Valatile quòd volet ſuper terram*; & non potiùs *Ellipſin* verbi poſitivi, *volet*, ſupplenda eſt in Latina Verſione, ac dicere: *Et volatile volet ſuper terram*? Caeteris paribus magis danda videtur haec *Ellipſin* Vulgatae Edictioni, quam Hebraico Textui. Nàm dicendo in Vulgata: *Volatile volet*, ſalvatur non ſolùm Textus Hebraicus, ſed etiam Vulgatamet Edictio in capite ſequenti, ubi ait: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & Univerſis Volatilibus Coeli, &c.* Ubi ponendo *Ellipſin* in Textu Hebraico, licèt fiat concordatio Latinae cùm Hebraica edictione quantùm ad id, quòd habetur in capite primo Geneſios, non tamen ſalvatur alter locus ſecundi capitis, ubi tàm in Hebraico, quam in Latino, Graeco, & Chaldaico Textu creditur Aves fuiſſe ex humo productas. Quòd etiam advertit Joannes Gerardus Voſſius in libro de Origine, & progreſſu Idolatriae, dum relata eorum ſententia, qui Aves ex Aqua volunt eductas, addit: *Verùm non levè injicit ſcrupulum, quòd Hebraeus Textus ſonet reptere faciant aquae reptile animae viventis, & Volatile volet ſuper terram in ſuperficie*

Joann. Gerard. Voſſ. lib. 3. de Orig. & progr. Idol. cap. 78.

fir-

firmamenti Coeli, uti vertit Pagninus, *Vulgata emiſit verbum volet, ſed expreſſit quoque Arias Montanus, qui ſimilitèr habet: Et Volatile volet ſuper terram. Hinc objiciunt ex verbis Moyſis ante adlatis, ex familiari Hebraeorum more intelligi debere Ellipſin Aſcer, id eſt, quòd, ut transferri poſſit, & Volatile quòd volet ſuper terram.... Quòd non improbarem, niſi obſtaret locus capitis ſequentis verſ.19., ubi Vulgata quoque ſic habet: Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & Volucribus Coeli, adduxit ea ad Adam. Scio reſpondere nonnullos Volatilibus referri ad formatis, non autem ad illud de humo. Sed omninò violenta eſt haec interpretatio, quam tamen admittere cogeremur, ſi Moyſes cap. 1. dixiſſet, Aves etiam ex Aqua eſſe formatas. Nunc verò in Hebraeo nihil eſt cauſae cùr ita interpretemur. Quid enim cogit, ut recurramus ad Ellipſin pronominis quid?* Et ut etiam dicebamus ſupra, magis Supr. num.73. conſonat rationi, ut Aves è terra dicantur productae, quam ex Aqua: Quia in terra Aves nidificant, in terra comedunt, in terra deambulant; in Aqua autem nihil faciunt, nihil operantur.

LXXXI. Tandem ſolutioni quam dat ex Auguſtino illis verbis Geneſios: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & univerſis Volatilibus, &c.* Jam antea occurrerant loculentèr Voſſius, ut ſupra, & ſatis pulchrè hic ob- Supr. num.80. viat Perèrius, dicendo: *S.Auguſtinus cap. 1. lib.9. de Geneſ. ad literam, duplicitèr conatur reſpondere ad hoc Scripturae Teſtimonium. Primò ait, illud ex humo, pertinere ad terreſtras animantes tantùm, non autem ad Volatiles. Sed obſtat conjunctio, & oſtendens illud ex humo conjunctè intelligendum eſſe de terreſtri-* Perèr. in cap. 1 Geneſ.

reſtribus , & Volatilibus . Deinde , inquit , nomine Terrae , nonnunquam in Scriptura ſignificari cùm terra , etiam ipſam aquam . Verùm nec hoc ipſe bene probat , ut patet conſideranti teſtimonia , quae adfert, nec ut ita eſſet , juraret ejus ſententiam . Quippè vult ipſe , Aves genitas eſſe ex aere nubiloſo , & vaporoſo, qui vocabulo terrae nuſquam ſignificatur , ut aqua , quae labitur per terram , & in ipſa continetur unum cùm ipſa corpus efficiens . Et verè in caeteris Dei operibus , videlicèt in Aſtris , Piſcibus , terrenis Animantibus , & in ipſo Homine*, cernitur magna quaedam convenientia inter rem productam , &* Elemen*tum ex quo , vèl in quo producta eſſe dicitur ; Velut inter Piſces , & Aquam , inter Animantes terreſtres , & Terram . Inter Aves autem , & Aquam nulla eſt convenientia ; nàm nec in aquis generentur , aùt vivunt Aves , nec earum temperamentum corporis eſt aqueum , ſed terreum , vèl potiùs aereum . Atque hoc etiam fidem habet ex eo, quòd ut Moſes hoc loco refert, juſſit Deus Aves multiplicari , non in aquis , ſicut Piſces , ſed ſuper Terram . Scriptura item Aves, non Aquae , ſed Coeli , id eſt Aeris Volucres appellat . Propterea ſententia eſt Theologorum tribus his poſterioribus diebus in uno quoque elemento creata eſſe à Deo ea , quibus illud* Elementum *ornatur , & impletur . At Volucres , ſeù Aves , non aquam , ſed Aerem ornant , & implent, ut potiùs ex Aere , quam ex aqua creari debuerint .* Ille .

LXXXII. Ex quibus patet etiam reſponſio ad authoritatem Janſenii, quam ibidem affert Author *Diſſertationis* , quae nihil aliud dicit , praeter ea, quae ex Auguſtino notavit P.Natalis . Cui etiam poteſt addi , non videri aliquam adeſſe rationem, cùr

Author Diſſer. fol.23.

cùr in praefatis verbis: *Formatìs igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & Univerſis Volatilibus Coeli*, ly, *cunctis animantibus terrae*, debeant referri ad formationem ex humo, non autem ly, *& univerſis Volatilibus Coeli*; quando in illis aliis verbis capitis primi: *Producant aquae reptile animae viventis, & Volatile ſuper terram*, tàm ly *reptile animae viventis*, quam, & ly *Volatile*, debeant referri ad productionem ex aqua; quando utrobique par eſt ratio, & particula, *Et*, in utroque loco aequalitèr ſuum exercet munus. Faciens ad hujus explicationem id, quòd advertit Gregorius, dicens: *Et namque ſermo conjunctionis eſt; & ſcimus quia non conjungitur ſermo ſubſequens, niſi ſermoni praecedenti*. Quibus omnibus ſtantibus, non debet ſerena fronte, hilari vultu, & Ore rotundo concludere Author *Diſſertationis*: *Nemo igitur inficiari poteſt juxta Scripturam, Volatilia omnia generatim ex aqua prodiiſſe*. Quando in oppoſitum potiùs cauſam habemus, ut uſque modo fuit à nobis tot rationibus, & authoritatibus clarificatum.

S. Grego. Homil. 2. in Ezechiel.

Author Diſſer. fol. 21.

LXXXIII. Quòd ſi dicas, ſententiam illam, quae vult Aves ex Aqua, eſſe radicatam in Sanctis Patribus, (ſecundùm quorum ſententiam explicanda venit Sacra Scriptura, juxtà Concilium Tridentinum) & confirmatam ex authoritate Eccleſiae approbantis Hymnum Ambroſianum ubi modulatur: *Magnae Deus Potentiae, &c.*

LXXXIV. Multipliciter reſpondetur, & primo, quia hic non agimus de gloſſatione Sacrae Scripturae abſolutè, & ſimplicitèr; in quò caſu ſtandum eſſet ſententiae Sanctorum Patruum ob illorum reverentiam, juxtà illud Lyrinenſis: *Id eſt pro-*

Lyrin. in libr. adverſ. proph. novit. vocum.

proprium Chriſtianae modeſtiae, & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſervare. Ducatum quippè praebet nobis Religio, non nos Religioni. Nec Majorum ſenſa, quà volumus trahamus, ſed potiùs quà illa trahunt, retrohuntque ſequamur. Sed agimus de conciliatione duorum Textuum Vulgatae Editionis inter ſe pugnantium circa Avium productionem, nempè capitis primi Geneſios aliquo modo dicentis, illas fuiſſe ex aqua productas: *Producant aquae reptile animae viventis, & Volatile ſuper terram.* Et capitis ſecundi volentis eas procreatas ex terra: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & univerſis Volatilibus Coeli*; in quo caſu recurrendum eſt ad Hebraicos fontes, juxtà maximum Eccleſiae Doctorem Hierònymum: *Sicuti in novo Teſtamento*, inquit ipſe, *ſi quando apud Latinos quaeſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontes Graeci Sermonis, quo Novum ſcriptum eſt Teſtamentum, ita in veteri Teſtamento, ſi quando inter Graecos, Latinoſque diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficiſcitur, hoc quaeramus in rivulis.* Maximè quia ex Auguſtino id quòd eſt obſcurum in uno loco Sacrae Scripturae debet per alium clariorem explicari; cùm nullum ſit dictum talitèr in Dei verbum obnubilatum, quòd alibi clariùs non poſſit elucidari: *Nihil ferè*, inquit, *de obſcuritatibus Scripturae eruitur, quòd non alibi pleniſſimè dictum reperiatur*. Sicque cùm in ſecundo loco Geneſios clariùs, & apertiùs habeatur, Aves fuiſſe ex humo productas, nil mirum ſi obſcuritatem primi capitis per ſecundum explicemus.

Geneſ. 1. ver. 20

Geneſ. 2. ver. 19

S. Hieron. Ep. ad Juniam.

S. Augu. lib. 2. de Doct. Chriſtian. cap. 6.

LXXXV. De-

LXXXV. Deindè in praeſenti non agitur de quaeſtione Fidem , vèl Mores tangente ; quo caſu omninò ſtandum eſſet authoritati antiquorum Patruum, ſecundùm quòd intelligendum venit Concilium Tridentinum , dùm ait: *Nemo ſuae prudentiae innixus in rebus Fidei, & Morum ad aedificationem Doctrinae Chriſtianae pertinentium , Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra unanimem conſenſum Patruum interpretari audeat.* Ea potiſſima ratione , quia cùm ipſa Fidei Dogmata non ſint ex hominum placito , ſed à Deo revelata , & à Salvatoris Diſcipulis tradita , quantomagis Sancti Patres Chriſto , & Apoſtolis fuerunt propingui , eo magis Fidei Myſteria , cooperante gratia , ab eis fuerunt cognita . Sed agimus de quaeſtione merè indifferenti , rationibus potiùs , quam authoritate elucidanda ; ideòque nil mirum ſi tali caſu ad Moderniores recurramus Interpretes,& Theologos; eorumque amplectamur ſententiam , ſinè praejudicio Majorum, qui primò tamen ea loca illuſtrarunt . Dicente non ſolùm Divo Thoma : *Diverſae opiniones Doctorum Sacrae Scripturae , ſi quidem non pertinent ad Fidem , & bonos Mores, abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt ; tunc enim habet locum, quòd Apoſtolus dicit Roman.* 14.. *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat* . Sed etiam quia , ſi eſt verùm (ſicuti de fide tenemus) , quòd Deus poſuit in Eccleſia Doctores , ut ait Apoſtolus : *In aedificationem Corporis Chriſti , donec occurramus in virum perfectum in menſuram aetatis plenitudinis Chriſti* , non minùs aſſiſtentia Spiritus Sancti ſe debet extendere ad Patres primi Seculi , quam ad alios poſterioris temporis ,

Concil. Trid. ſeſs.4.in Decr. de edict. , & uſu Sacr.Libr.

S.Tho. quodl. 3. art.10.

Epheſ.4. verſic.12.

poris, quando etiam poteſt adeſſe nequitia hominum in circumventionem erroris, affirmante ipſo

S.Augu. lib.2. contr.Jovin.

Auguſtino: *Diſpenſatores ſuos Deus per diverſas aetates temporum, locorumque diſtantias, ſicut ei placet, atque expedire judicat, ipſe diſpenſat*. Quòd forſitan voluit etiam intelligere Gregorius, dùm

S. Greg. hom. 46.in Ezechiel.

ajebat: *Plùs Moyſes, quam Abraham; plùs Prophetae, quam Moyſes; plùs Apoſtoli, quam Prophetae in Omnipotentis Dei ſcientia eruditi ſunt. Quanto Mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis aeternae ſcientiae aditus longius aperitur*. Sed hoc dictum volo pro majori claritate, & intelligentia Dogmatum, non autem de illorum inventione, & manifeſtatione; alitèr enim, ſi nova nobis Myſteria Fidei manifeſtarentur, illa ſinè dubio fuiſſent antiquis Patribus incognita, quòd improbamus.

S. Auguſtin. Epiſt.111.

LXXXVI. Huic etiam facit id, quòd aſſerit praelaudatus Auguſtinus: *Neque enim quorumlibet diſputationes, veluti Canonicas Scripturas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè inveniremus, quòd alitèr ſenſerint, quam veritas habet, Divino adjutorio, vèl ab aliis intellecta, vèl à nobis. Talis ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum*. Quòd ſi tandem, nec etiam hoc velit admictere Author *Opuſculi*, illud nihilominùs ab eo non poteſt negari, quòd in his, quae Fidem non reſpiciunt, authoritas Patruum probabilem tantùm facit ſententiam, non autem certam, & in-

S. Thom. 1.p. q.1. art.8.ad 2.

fallibilem: Dicente Divo Thoma: *Ex authoritate Doctorum, non niſi probabilitèr argui poſſe*, quia ipſi

ipſi in hujuſmodi quaeſtionibus de facili errare poſſunt, ut obſervat Auguſtinus, inquiens: *Salva fidei compage, Doctiſſimi, & optimi regulae Catholicae Defenſores, interdùm diſſentiunt*. Et alibi: *Quis non ſenſit in his, atque hujuſmodi quaeſtionibus, ſivè ad obſcuriſſima opera Dei, ſivè ad Scripturarum abditiſſimas latebras pertinentibus, & multa ignorari, ſalva Chriſtiana Fide, & alicubi errari ſinè aliquo haeretici Dogmatis crimine?* Cujus ea eſt ratio, quia ipſi dicuntur gaudere infallibilitate reſpectu gubernii Eccleſiae; juxtà illud Apoſtoli: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus Miniſterii, in aedificationem Corporis Chriſti, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*. Igitur quotiès eorum Doctrina Corpus Chriſti, (quòd eſt Eccleſia) non tangit, non eſt cùr gaudeant infallibilitate; ſed ad ſummum probabilem poſſunt facere ſententiam. Ex probabili poſtea ſententia, probabilis tantùm, non autem firma deducitur demonſtratio.

S. Auguſt. lib. 1. cont. Julian. cap. 2.

Idem lib. 2. de Pecc. Orig. capit. 23.

ad Epheſ. 4. verſ. 11.

LXXXVII. Hoc eodem modo reſpondendum eſt ad id, quòd dicitur de Hymno Ambroſiano: *Magnae Deus Potentiae, &c.* approbato ab ipsà Eccleſiâ; quòd ſcilicèt Eccleſia gaudet infallibilitate in his, quae Fidem, & Mores Fidelium reſpicit, juxtà promiſſionem Chriſti ad Petrum dicentis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram aedificabo Eccleſiam meam, & portae inferi non praevalebunt adverſus eam*. In reliquis autem, quae Fidem,

Matth. 16. verſic. 18.

& Mores non tangunt, & ſi non poteſt ob ſui reverentiam dici fallibilis, probabilem tantùm, & non aliam facit ſententiam; quia in his nullum ei Chriſtus Dominus ſpopondit infallibilitatis patrocinium. Maximè quia Officia Sanctorum, Lectiones, & Hymni recognoſcuntur ut plurimum à Sacrâ Congregatione Rituum, quae (ſicuti & caeterae Congregationes Cardinalium) nec etiam in Materiâ Fidei, & Morum poteſt facere infallibilem authoritatem, reſervatam tantummodò ipſi Summo Pontifici, quandò loquitur ex Cathedrâ, tanquam omnium Paſtori, & Magiſtro. Undè Sixtus V. in Bullâ Erectionis quindecim Congregationum, loquens de Majori, quae eſt ſuper executione Concilii Tridentini, mandavit, Cardinales nihil poſſe de hoc facere, niſi conſulto Summo Pontifice: *Cùm ad ſingularem*, inquit, *Romani Pontificis authoritatem tantummodò ſpectet Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, & ut ubique locorum ſervetur, curare, ac praecipere. Quorum quidem Decretorum, quae ad fidei Dogmata pertinent interpretationem nobis ipſis reſervamus. Cardinalibus verò Praefectis interpretationi, & exequutioni Concilii Tridentini, ſi quando in his, quae de Morum reformatione, Diſciplina, & Moderatione, & Eccleſiaſticis Judiciis, aliiſque hujuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas, aùt difficultas emerſit, interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis impartimur.* Alitèr enim ſi ea, quae ſunt in Breviario de Fide eſſent tenenda (ſalvis his, quae ex Scripturis fuerunt diſcerpta), cùm dicatur in Vitâ Sancti Patritii: *Integrum quotidie Pſalterium, una cùm Canticis, & Hymnis, ducentiſque Orationibus conſueviſſe reci-*

Sixt.V. in Bulla 74. in Ordine.

S. Patric. die 17. Martii.

recitare , trecentiès per dies ſingulos flexis genibus Deum adorare , ac in qualibet horâ diei canonica centiès ſe Crucis ſigno munire : In hoc utique ſinè ulla titubatione captandus eſſet in fidei credentia intellectus, non obſtantè quòd hoc humanas Vires videatur excedere . Et cùm in vita Sancti Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani pro Hiſpania, & Benedictinis Monachis in Breviario regeſtum habeamus, quòd eo Orante ad Sepulchrum Leocadiae: *Ecce reſerato repentè Sarcophago Leocadia Sanctiſſima prodiit , videntibuſque cunctis, & audientibus , Ildephonſi merita de Virgine commendavit : O Ildephonſe per te vivit Domina mea , quae Coeli culmina tenet* . Quòd cum Sanctitati , ac Meritò Virginis Mariae , non multùm videatur conferre; quaſi quòd ſinè adjutorio Ildephonſi decor,& Sanctitas Deiparae poſſit collabi , non eſt cùr Fideles de neceſſitate obligentur ad id credendum. Dicente ad hoc propoſitum Baronio: *Caeterùm eandem ipſam Romanam Eccleſiam non ſicut Evangelium (quòd etiam Gelaſius notavit) legere conſueviſſe , legenda proponere quaelibet Sanctorum acta : Sed potiùs ea cuncta Apoſtolica illa laude libranda relinquere : Omnia probate , quòd bonum eſt tenete , &c.* Undè ex hoc ſolùm poteſt deduci , quòd ea, quae regiſtrantur in Breviario non ſunt contraria pietati : Et ex illis ad ſummum probabilis infertur illatio , quae in materia Morali : *Non conſurgit* , ut affatur Divus Antoninus , *ex evidentia demonſtrationis , ſed ex probabilibus conjecturis , gloſſis , & figurabilibus , magis ad unam partem , quam ad aliam ſe habentibus* . Adeòque ex cantilena hujus Hymni ſuum non attingit ſcopum Author *Diſſertatio-*

S. Ildephonſ. die 23. Januar.

Bar. ad annu Chriſt.302.numer.104.

S.Anton. in pr.part. tract. 3. verſ. 3. columnn.10. §.10.

tationis pro oſtendenda Avium creatione ex aqueo Elemento *in* prima Mundi Origine.

LXXXVIII. Ex authoritate Scripturae, Sanctorumque Patruum ſententiis gradum ſibi faciens Author ad experientias naturales demonſtrantes Aves ex aqua progenitas, ita ſuum proſequitur eloquium: *Quibus etiam addere, quae Celeberrimus Vir Joannis Euſebius Nierembergius in ſua Hiſt. natur. prodidit, non extra rem eſt: Is enim libro quarto praefatae Hiſtoriae cap.1., ut Avium productionem ex aquis, naturalibus quoque experientiis oſtendat, haec ſcribit: In humore itaque Aves natae produntur. Barliathes in aqua generantur: Aquae quoque produxerunt monſtrificum Alitem, qui Motezumae praemonſtravit Claſſem Hiſpanicam. Adlata quoque fuit Franciſco Regi Galliae Concha cùm Avicula intus penè perfecta alarum faſtigiis, roſtro pedibus haerente extremis oris oſtraci. Hector Boetius aſſeverat ſe vidiſſe enatas in alga conchas, quibus apertis vivae aves evolarunt. Deindè capite decimo tertio ejuſdem libri ſubjungit: Saepè fit ut ad Oceani littora appulſum Navis aliquòd fragmen, & ſabulo affixum, diùque fluctibus contuſum, & aquis, & diuturnitate pereſum, fungos albentes primum proferat, poſt certo temporis ſpatio, & calente Sole, pedibus, aliiſque adformatis è ligno evellant ſe ſe Aves, quondam fungi, nunc Volucres aera tranantes: Eſt extra Italiam locus, ubi mirabilè dictu naſcuntur in frutice quaſi formae teretis Vellera: Haec certo temporis ſpatio ex Arbore in Flumen, quòd inferne elabitur decidentia, ut primum aquam attingerunt, dant Aves volatum, & in ſublimes regiones, more caeterarum Avium aufugiunt, &c.* At hujuſmodi experientia, ſi lo-

Author Diſſ. fol.18.& 19.

ſi loquamur de Avibus perfectioribus (de quibus in praeſenti eſt caſus, cùm agatur de Volucribus in eſcam accommodatis tempore Quadragèſimae), non ſolùm repugnant rationi, ſed etiam contradictionem praeſeferunt principiis ipſiuſmet Authoris *Diſſertationis*: Sicque in praeſenti non attendendae.

LXXXIX. Dixi, *ſi loquamur de Avibus perfectioribus*; nàm in genere Volatilium, ultra Aves, aliae Volucrum ſpecies enumerantur, quae Aves dici minimè poſſunt: Cujuſmodi ſunt Apes, Muſchae, Papiliones, & hujuſmodi: Undè Regius Propheta ediſſerens de Volucribus laudantibus Dominum, illos diſtinxit à reliquis per verbum *Pennatum*, inquiens: *Beſtiae, & univerſa Pecora, Serpentes, & Volucres Pennatae*. Et alibi, commemorans Aves, quas Deus pluvit in Deſerto filiis Iſraël: *Pluvit*, inquit, *ſuper eos ſicut pulverem Carnes, & ſicut arenam Maris Volatilia pennata*: Quia ut gloſſat ibi Venerabilis Beda: *Sunt etiam quaedam Volatilia non pennata, ut Papiliones, &c.* Ex quò habuit quidam Author Avem in hunc modum deſcribere: *Avis animal eſt Volatile pennis decoratum, undè à Volucris diſtinguitur. Volucres enim appellantur quaecunque volant; ita dictae à Volando, & celeritèr. Hinc Volùcritèr ex Ammiano lib.17., & 30. idem ſignificabat, quòd celeritèr: Occupavère, ait, volucritèr Regiam. Igitur Apes, Muſchae, Papiliones Volucres quidem ſunt, non tamen Aves.... Avis ergo velut ſpecies quaedam ſe habet ad Volucrem, &c.* Hujuſmodi autem Volucres poſſe produci non ab ipſa Aquâ, ſed ab alterâ materiâ per aquam corrupta (ut mòx explicabimus) ultrò admi-

Pſalm. 148. verſ. 10.

Pſalm. 77. verſic. 29.

Beda in pſalm. 75.

Auth. Theat. Vit. Human. verb. Aves.

admictimus, ex ſuppoſitione, quòd Animantium quaedam naſcuntur ex Ovo, quaedam ex ſemine, &c. Sed Volucres iſtae non faciunt ad caſum; nàm cùm Adverſario nobis eſt quaeſtio de Avibus, quibus paſcebantur Chriſti-fideles in Ante-paſchali jejunio, inter quas forſitan non poterant enumerari Muſchae, Apes, Papiliones, & ſi quae ſunt ejuſdem inſipidi generis.

XC. Quòd autem Aves perfectiores non poſſunt ex aqua merè elementali procreari, uti praetendit oſtendere Author *Diſſertationis* ex experientiis à Nierembergo recenſitis (quae potiùs Hiſtoriae debent nuncupari, quam experientiae, utpotè res ab oculis noſtris longè poſitae, & in vetuſtioribus Monumentis regiſtratae); patet in primis ex Sacrà Scripturà, ubi habemus, Deum juxiſſe Noë, ut introduceret in Arcam: *De Volucribus juxtà genus ſuum, de jumentis in genere ſuo, ex omni reptili terrae ſecundùm genus ſuum, bina de omnibus ut poſſint vivere.* Et hoc non alia ratione, niſi ut ſubtraheretur ejus ſemen à deſtructione Diluvii; undè quia Piſces poterant ſervari in aquâ, non fuerunt in Arcam introducti: Sicuti nec etiam animantia, quae poterant ex putredine deduci, ex communi Expoſitorum ſententia; aſſerente ex noviſſimis Doctiſſimo Cornelio à Lapide: *Nulli verò Piſces ingreſſi ſunt in Arcam, nec amphibia, quia haec continentèr tàm in aquis, quam in terra vivunt. Rursùm, in Arcam non ſunt inducta animantia, quae ex putrefactione, ut Mures, Vermes, Apes, Scorpiones, nec ea, quae ex congreſſu diverſarum ſpecierum, uti Mulus ex Equa, & Aſino naſcuntur.* Igitur cùm Aves ſervatae fuerunt in Arcam, ut eorum propagatio

Geneſ. 6. verſic. 20.

Cornel. à Lap. in cap. 6. Geneſ. verſ. 20.

pagatio

pagatio inde difflueret, ſignum evidens eſt, eas non aliundè poſſe produci, niſi ab aliis Avibus: Alitèr enim Deus illas fruſtra clauſiſſet in Arca, cum ad ſimilitudinem primae earum craetionis, poſſet deindè ex aqua eas erumpere facere. Sicque ex hoc capite claudicant experientiae Nierembergi, parumque in veritate ſubſiſtunt.

XCI. Inſuper, cùm Aves ſint generis perfectioris, non poſſunt, niſi ex ſemine alterius parentis generari: Sicuti de Serpentibus Pharaonis contra Cajetanum, poſt multos tenet laudatus à Lapide; nàm ubi Exodi habemus de Magis Ægyptiorum, vertentibus virgas ſuas in Serpentes: *Vocavit autem Pharao Sapientes, & Maleficos ut facerent etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quaedam ſimilitèr, projeceruntque ſinguli Virgas ſuas, quae verſae ſunt in Dracones*, Cajetanus obſervans dixiſſe Divum Thomam: *Sciendum quòd quamvis hujuſmodi opera Daemonum, quae nobis miracula videntur, ſunt tamen quandoque verae res: Sicuti Magi Faraonis per virtutem Daemonum veros Serpentes, & Ranas fecerunt*, antumat illos fuiſſe ex Virgis ope Daemonum productos: *Daemones*, inquit, *has Virgas Magorum per res aliquas naturales ignotas, ſed efficaciſſimas, ſenſim jàm ante diſpoſuiſſe ad formam Draconum: Itaùt cùm Magi Virgas in terram projecerant, illae jàm ultimam habebant diſpoſitionem ad formam Draconum, quae proindè tunc ſtatim ſit inducta, productique ſunt veri Dracones*. Contra ipſum, inquam, inſurgunt nonnulli cùm praefato à Lapide, dicente: *Verùm hoc parùm eſt probabile, quia Dracones cùm ſint animalia perfecta, non poſſunt, niſi ex ſemine Parentis (quòd hic non fuit)*

Exod.7.verſic.12.

S.Tho.1. part. q.114. art.3.

Cajet.in cap.6. Exod.

Cornel.à Lap. in cap.6 Exod.

generari. Ita pariter ratiocinandum de Avibus: Et creſcit in immenſum argumentum, quia ex
Infr. num.89. principiis ejuſdem Authoris *Diſſertationis*, ut infra, tùm Aves, tùm Piſces generantur ab Ovis: Adeòque cùm in Exemplis à Nierembergo recenſitis nulla ſupponantur Ova; neceſſe eſt concludere, ejus enarrata non eſſe vera, vèl illa animantia non deberi propriè dici Aves, ſed Volucres ex putri materia progeniti.

XCII. Et quando etiam velìmus praefato Authori indulgere, poſſe in ſententia Cajetani, ejuſque Magiſtri Divi Thomae, applicando activa paſſivis, produci animantia, uti ſunt Serpentes, Aves, & hujuſmodi, non poteſt tamen in controverſiam revocari, illorum productiones fieri ex praeſuppoſita alia materia, non autem ex ipſa nuda Aquâ elementali, quae tantùm confovendo poteſt manum porrigere ad corruptionem lignorum, aliarumque rerum, quibus diſpoſitis ſubſequentèr oriuntur Aves; ſicuti etiam videtur praeſupponere praelaudatus Nierembergus, ubi
Euſeb. Nierember. lib. 4. Hiſtor. cap. 1. poſtquam dixerat: *In humore Aves natae producuntur*, ſubjungit: *Saepè fit, ut ad Oceanum littora appulſum Navis aliquòd fragmen, & ſabulo affixum, diuque fluctibus contuſum, & aquis diuturnitate pereſum, fungos albentes primum proferat, poſt certo temporis ſpatio, & calente Sole, pedibus, aliiſque adformatis è ligno evellant ſe ſe Aves quondam fungi, nunc Volucres aere tranantes. Eſt extra Italiam locus, ubi mirabile dictu, naſcuntur in frutice, quaſi formae teretis vellera. Haec certò temporis ſpatio ex arbore in flumen decidentes, ut primùm aquam attingerunt, dant Aves volatum, & in ſublimes regiones more caetera-*

terarum Avium aufugiunt, *&c.* Adeòque ſtante hac alia praeſuppoſita materia, ſinè fundamento infert Author *Diſſertationis*, Aviculas illas fuiſſe ex Aquâ productas, quae tantùm confovendo lignum, & putrefaciendo folia, poterat concurrere ad procreationem praefatarum Avium, unà cùm Sole, caeteriſque Elementis: Sicuti ex eo, quia in ſententia multorum (etiam primae notae) Philoſophorum, ſanguis menſtruatus Mulieris fovet tantummodo ſemen viri in procreatione prolis, haec non poteſt dici genita à ſanguine menſtruato Mulieris, benè verò à ſemine Viri; non obſtante quòd ſemen Virile ſinè adjutorio Sanguinis Muliebris confoventis non attigiſſet procreationem faetus. Et patet in ſupradictis Magis Ægyptiis, qui ſuis incantationibus, & Succis herbarum verterunt Virgas ſuas in Dracones; licèt enim ſine talibus ſuccis non fuiſſent progeniti Serpentes, neque diſpoſitae Virgae in proportionatam materiam producendi Dracones (inter formam enim de novo introducendam, & materiam debet dari adequata proportio), nihilominùs Dracones illi non poterant dici producti abſolutè, & ſimplicitèr ex ſuccis herbarum, atque incantationibus, benè verò ex corruptis virgis. Ita paritèr in caſu noſtro, licèt aqua computreſcat illa fragmina lignorum, & arborum folia, ut ex illis reſultent Aves, nihilominùs Aves ipſae non debent dici progenitae ex Aqua corrumpente, ſed ex ligno, & frondibus corruptis. Et ſicque hujuſmodi experientiae nihil probant in praeſenti; & ad hoc, ut aliquid valerent, neceſſe foret, ut ipſe Author oſtenderet, Aves ex aqua pura, & me-

rè Elementali fuiſſe progenitas, nulla alia adſtipulante terreſtri materia; quòd facere nullatenùs poterit in comprobationem ſuae *Diſſertationis*, & Thematis, quia cùm animantia ſint corpora mixta, non poſſunt ex ſolo elemento aquaeo procreari: Quando etiam Deus in ſuâ primâ Mundi creatione ex omnibus quatuor Elementis, non autem ex ſola ipsâ aquâ Piſces procreavit, ut ex Divo Thoma, & Lyrano dicebamus ſupra.

Supr. num.64

XCIII. Adducit tandem Authoritatem Joannis Marianae dicentis, in Religione Benedictina fuiſſe Monachis vetitam quadrupedum carnem, permiſſum verò eſum Avium: *Tandem*, inquit Author, *meretur hic inſeri id, quòd legitur apud Joannem Marianam in eruditiſſimis ſcholiis ad Vetus, & Novum Teſtamentum pag. 7. ſchol. 21. ad illa verba, Animam viventem, porrò inquit, Piſcium, & Avium origo communis eſt. Hinc quidam jejunia ſolvi non credebant eſu Avium Socr. lib. 5. hiſt. cap. 22. Tùm fortaſſis id ſecutus Benedictus ſuis quadrupedum Carnibus interdixit, Avium conceſſit. Fructuoſus in Regula Monachorum*. Haec ille. Non me latet hoc docuiſſe Marianam, ex quo deceptus Merſenius Minorita habuit & ipſe aſſerere: *Ex eo verò, quòd Piſcium Origo, & Avium communis eſt quidam jejunium eſu Avium minimè ſolvi crediderunt, Teſte Socrate Hiſt. Eccleſ. cap. 22. lib. V., quòd etiam ſecutus videtur Benedictus, referente Mariana, cùm ſuis quadrupedum carnibus interdixit, Avium conceſſit ex Fructuoſo in Regula Monachorum*.

Author Diſſer. fol. 23., & 24.

Merſen. in cap. 1. Geneſ. verſ. 20.

XCIV. At quantùm à veritate aberravit Mariana (& poſt ipſum Merſenius), non ſolùm evincitur ex conteſtu ipſius S. Fructuoſi ita legentis:

Car-

Carnem cuiquam nec ſumendi, nec guſtandi eſt conceſſa licentia, ſervato tamen moderamine pietatis. Erga aegrotorum neceſſitates, vèl longè proficiſcentium qualitates, ut & Volatilium eſus infirmi ſubſtententur ſi à Principe, vèl ab Epiſcopo petantur pro benedictione, & obedientia deguſtare non metuant, ſervantes apud ſe continentiam conſuetam, (ubi ſi animadvertas, nihil juxtà ſenſum Marianae aſſerit Fructuoſus, ſed solùm de Aegrotis loquitur, qui non debent in praeſenti noſtram infirmare propoſitionem), ſed etiam evincitur ex ipſa Regula Sancti Benedicti Monachis ſuis demandente: *Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abſtineatur Comeſtio, praeter omninò debilibus, & Aegrotis*: In quo loco merè negativè Sanctus Legifer ſe habet circa eſum Avium, ſicuti peroptimè illud obſervat Divus Antoninus ediſſerens: *Quia in Regula Sancti Benedicti dicitur, Carnium quadrupedum ab omnibus abſtineatur comeſtio, ex hoc argumentantur nonnulli, quòd carnibus bipedum, vèl gallinis, & aliis omnibus uti liceat, per argumentum à contrariis, quòd eſt fortiſſimum regularitèr. Quòd tamen aliquando fallit, ſicut l. Conventicula illicita, C.de Epiſcopis, & Clericis. Et ſimilitèr fallit argumentum hoc ſecundùm Joannem Andream, quia contradicit tali intellectui ratio naturalis, & cap.36. ipſius regulae, &c.* (In hoc enim capite 36. abſolutè prohibet Sanctiſſimus Patriarcha eſum Carnium, praeſcindendo à quadrupedibus, & Volatilibus, dicens: *Sed & Carnium eſus infirmis, omninòque debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, à Carnibus more ſolito omnes abſtineant*.

S.Fruct.in Regul.cap.5.

S. Bened. in Regul.cap.39.

S.Anton. 3. p. Summ. Theol. tit. 16. cap. 6. §.5.

S. Bened. in cap.36.

XCV. Deinde, relicta contraria obſervantia,

de

Bened. Heſten. in diſquiſ. Monaſt. lib. 10 tractat. 6. diſq. 2.

de qua inquit Benedictus Heſtenus: *Aegris nullas, ſanis omnes à S. Benedicto Carnes interdictas concors eſt, & communis Interpretum Regulae noſtrae ſententia, Turrecrematae, S. Antonini, Antonii Perez, Joannes Creasbeek, aliorumque; & confirmatur à communi Monachorum, & Religioſorum Benedictini Ordinis antiqua conſuetudine (quae eſt optima legum interpres) à Volatilium, atque terreſtrium carnibus abſtinentium*. Contra opinionem Marianae, de eſu Avium apud Benedictinos cùm prohibitione quadrupedum, ſtant in primis multi Gloſſatores, & Patres id abſolutè Monachis negantes, infirmiſque ſolùm hujuſmodi cibos indulgentes. Inter hos numeratur S. Aurelianus, dicens: *Carnes in cibo nunquam ſumantur: Pulli verò, vèl altilia cuncta in Congregatione non miniſtrentur: Infirmis verò tantùm provideantur, & accipere licet*. Item S. Caeſarius Arelatenſis in Recapitulatione Regulae Monialium: *Pulli*, inquit, *tantummodò infirmis praebeantur, nàm in Congregatione nunquam miniſtrantur. Carnes verò à nulla unquam penitùs in cibo ſumatur. Si fortè aliqua in indiſperata infirmitate fuerit, jubente, & providente Abbatiſſa, accipiat*. Et Guido Juvenalis in Gallica Regulae Traductione: *Omnes*, inquit, *Monachi prorsùs abſtineant ab eſu carnium animalium quadrupedum, exceptis omninò aegrotis, & debilibus, quibus bipedum carnes conceſſae ſunt, ut puta Volatilium, Gallinarum, Columbarum, Perdicum, aliarumque ſimilium, ſecundùm morborum diverſitatem. Iiſdem Infirmis, aeque quadrupedum Carnes permiſſas, ſi ſanitati conveniant, quòd rariùs tamen accidit, ut aliquando eſſe poſſunt. Ovillae, Vitulinae, aliaeque carnes*. Quibus accedit

S. Aurel. cap. 51. in Regul.

S. Caeſar. Arelat. in Recap. Regul. Monial. art. 17.

Guid. Juven. cap. 39. Regul.

dit Concilium Aquiſgranenſe, demandans: *Ut Volatilia intus, forìſvè, niſi pro infirmitate nullo tempore Monachi comedant*. Nec non: *Ut nullus Epiſcoporum Monachis Volatilia comedere praecipiat*. Et hoc forſitan, quia Ludovicus, & Lotharius Imperatores, aſſignando victum Monachis S.Germani Pariſienſis Monaſterii de anno 830., dixerunt: *Statuimus, atque jubemus, ut dentur eis annis ſingulis Volatilia cùm Ovis de duobus Feſtis, id eſt, Paſchae, & Natalis Domini*. Ubi etiam animadverte, quòd licèt in gratiam tantorum Feſtorum piiſſimi iſti Imperatores diſpenſent cùm Monachis circa eſum Volatilium, bis tamen hoc in anno fieri praeceperunt. Per quòd datur intelligi, delectum Avium apud illos non fuiſſe in uſum, ut perperam exiſtimat Mariana. Concil.Aquiſgr.can.8.,& 9. ex Aimone de Geſt. Francor. lib.5. cap. 10.

XCVI. Stant ſecundo aliae Gloſſationes ſuper iſto Regulae contextu, ubi Servaſius Lairuelez ita legit: *Carnium verò, etiam quadrupedum ab omnibus abſtineatur comeſtio*. Regula ſolitariorum etiam habet: *A Carnibus verò tàm quadrupedum, quam volucrum omninò abſtineant, niſi fortè aliqui in gravi infirmitate detencti fuerint. Ipſis enim pro reparatione tantùm concedantur*. Similitèr & Camaldulenſes, dum legunt in Regula: *Carnium verò quadrupedum, &c...* Addunt in eorum Conſtitutionibus: *Credunt Patres textum eſſe mendoſum, & legendum eſſe: Carnium verò, etiam quadrupedum. Voluntque per hunc locum eſum Carnium omninò Monachis noſtris interdici, tàm quadrupedum, quam Volatilium, & omnium aliorum*. Adſtipulantibus etiam Patribus Caſſinenſibus, ad verbum illud *Quadrupedum* ſubjungentibus: *Multò magis Vo-* Lairuelez to.1 Catachel.9. ſection.9. Regul. ſolit. S.Bened. c.42. Conſtit. Camaldul.de ann. 1572. Conſtit. Caſſin.ad Cap 39. Regul.

Volatilium, *quam prohibitionem ſervari volumus etiam in itinere conſtitutis*. Quibus omnibus adminiculatur ipſa ratio deſumpta ex in congruentia ciborum, ut videantur vetitae Carnes inferioris qualitatis, cujuſmodi ſunt illae Quadrupedum, & indultae nobiliores, ac delicatiores Avium, uti in caſu noſtro ſubtiliter adnotavit Doctiſſimus
Turraecrem. tr. 104. in Regul. S.Bened. Turraecremata ediſſerens: *Licèt S. Pater tantùm nominat Carnes quadrupedum*, *prohibitio tamen extenditur uſque ad carnes aliorum animalium*, *bipedum ſcilicet*, *& Volatilium*. *Cùm enim carnes Volatilium ſint dulciores*, *magis delicatae*, *& pretioſiores*, *quando minùs delicatas vetuit*, *procuidubio magis delicatas*, *& pretioſiores prohibere credendus eſt*. *Mos enim Sanctorum Doctorum eſt in minori comprehendere majorem*. Et erat id, quòd ſupra dicebat Julianus
Julian. Pom. lib. 2. de vita Contempl. caput. 23. Pomerius: *Caeterùm ſi à quadrupedibus abſtinentes Phaſianis alitibus*, *vèl aliis Avibus pretioſis perfruantur*, *non mihi videntur reſecare delectationes ſui Corporis*, *ſed mutare*, *&c.* Alitèr enim ſi reſpuerent Quadrupedia, tenerentque Volatilia Benedictini, poſſet de illis iterum repetere Paulus quòd olim
2. Timoth. 3. verſ. 6. ad Timotheum ſcribebat: *Hujuſmodi enim Chriſto Domino non ſerviunt*, *ſed ventri*. Quando praeſuppoſita inſubſiſtentia hujus facti (per Marianam, & Authorem *Diſſertationis* enarrati), poſſunt ipſi jueremeritò ſibi verba Prophetae uſurpa-
Pſalm. 118. verſ. 85. re, & eorum Sancto Patriarchae repetere: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*, *ſed non ut lex tua*: Haec de Authoritatibus.

XCVII. Ad Phiſiologicas tandem rationes, ex ipſa Avium natura deſumptas pertranſeuntes, ex eadem Authoris pharetra jacula deſumimus, ut ipſum

ipſum confodiamus; ei in praeſenti repetendo illamet verba, quae ipſe irridendo evomit circa differentias à Theologis noſtris aſſignatas ergà permiſſionem Piſcium, & prohibitionem Avium in Antepaſchali jejunio: *At hae* (eſt ejus affatum) *phalerae ſunt ad populum, non verò ratio ponderis alicujus, aùt momenti*: Cùn reverà hujuſmodi phiſiologicae rationes nullius eſſe ponderis, aùt momenti, ſed fucata tantummodò verba ad ſimplicium deceptionem nemo eſt, qui non videt. Author Diſſer. fol. 30.

XCVIII. Nam imprimis hae obſervationes ſunt ſimplices oppoſitiones, quas ſibi fingit Joannes Gerardus Voſſius in ſuo Opere de *Origine, & progreſſu Idolatriae*, à quo noſter Author, cùm nonnullis aliis verbis ſuae *Diſſertationis* ad literam, nullo relicto apice, eas exaravit; itaùt ſi inter vivos adhuc fuiſſet Voſſius, ubi attenderet ſuas Lucubrationes ab Authore *Diſſertationis* tranſcriptas, & ſi pro animi moderamine illi cùm Martiale non repeteret:

Indice non opus eſt noſtri, nec vindice libris; Martial. lib. 1. Epigr. 21.
Stat contra, dicitque tibi tua pagina fures.

Saltem ubi videret Authorem *Diſſertationis*, relicta ſaniori Doctrina, quam ipſe Voſſius tradit in corpore Articuli circa productionem Avium ex ipſa humo, tranſcribere tantummodò oppoſitiones, quae ex adverſo, juxtà Scribentis morem fieri aſſolent, non reticeret repetere cùm eodem laudato Martiale verba ad Fidentinum in ſimilibus directa:

Quem legis meus eſt, Fidentine, libellus; Idem ibid. Epig. 34.
Sed malè quia legis, incipit eſſe tuus.

Siquidem, Voſſius inter caetera (omnia enim

minutatim tranſcribere noſtrum tranſcenderet dicendi inſtitutum; Ex ungue nihilominùs noſce Leonem), haec habet : *Porrò , quòd Aves ſint Oviparae , id commune habent cùm Piſcibus . Utrinſque ideò major eſt foecunditas , quam quadrupedibus. Hinc etiam videas apud Moſem Gen.1. verſ.22. , ſolis dici Avibus , & Piſcibus ; creſcite , & multiplicamini . Omnibus quidem animantibus dictum videtur , ſed ob ſingularem Avium , Piſciumque foecunditatem , de his ſolis exprimitur . Praetereà utraque mammis carent , & Veſica , quia excrementum humoris illis in plumas , his in ſquamis abit . Utrique etiam cauda dirigunt curſum , itaùt ab Avibus quidam navigandi artem didiciſſe hominem putarint : Sanè de Milvis ait Plinius lib. 10. cap. 10. Iidem videntur artem gubernandi docuiſſe , caudae flexibus in Coelo monſtrante natura , quid opus eſſet in profundo , &c.* Quae verba ſi comparentur cùm his , quae folio 25., & 26. habet Author *Diſſertationis* , ejuſdem ſinè dubio inter ſe reperientur ponderis , numeri , & menſurae ; hac ſola differentia , quòd ubi Voſſius illis , ut ſupra , non aſſentitur , ſed tantùm ea refert veluti contrarias oppoſitiones , Author *Diſſertationis* tanquam veris , & inconcuſſis rationibus ſe illis ſubſcribit .

Voſs. lib 3. de Orig. & prog. Idolatr. cap.78. fol. mihi 575.

XIC. Deinde , ſi loquamur de prima bimembri ratione , per quam Aves , & Piſces ejuſdem aſſerit eſſe naturae : *Ambo etenim eodem modo generant , nempe per Ova , utriſque ideo major eſt foecunditas , quam quadrupedibus . Hinc etiam videas apud Moyſem Geneſ. 1.22. ſolis dici Avibus , & Piſcibus : Creſcite , & multiplicamini . Omnibus quidem animantibus dictum videtur , ſed ob ſingularem*

Author Diſſer. fol.25.

Avium,

Avium, Piſciumque foecunditatem de his ſolis exprimitur, &c., haec non vulgari literatura Excultos potiſſimùm offendit. Nam ubi ſermo eſt de conſimili productione Avium, & Piſcium ab Ovis, vèl ſtare velimus ſententiae Carteſii, Magnani, aliorumque Philoſophorum moderniorum, quòd omne animal naſcitur ex Ovo: Et ſic non eſt cùr ſolis Avibus, & Piſcibus tribuenda foret hujuſmodi prorogativa: Vèl ſubſcribenda eſſet Ariſtotelica opinio, aliorumque Peripateticorum autumantium quaedam ex Ovo, quaedam ex ſemine, & quaedam animantia naſci ex putri; & tunc etiam corrueret aequiparatio Avium cùm Piſcibus; quia non ſolùm haberemus nonnullos Piſcium non ex Ovo, ſed ex ſemine, vèl putri procreari; cum etiam in ſententia praefati Authoris innumeras Aves pariformitèr non tantum ex Ovis, vèl ſemine progigni, ſed ex eodem putri immedium educi. Ut de Piſcibus ſicuti ſunt Balena, Vitulus Marinus, Priſtis, ac Delphìnus ex Sanctis Patribus inquit Ambroſius: *Innumeri itaque uſui; innumera genera Piſcium: Alii Ova generant, ut iis quos Truttas vocant, & aquis fovenda committunt: Alii vivos foetus edunt de ſuo corpore, & Muſtulae, & Caniculae, & Caete ingentia, Delphines, & Phocae, aliaque caetera hujuſmodi*. Ex naturaliſtis autem dicit Plinius: *Quae pila veſtiuntur, animal pariunt*. Aſſerente etiam Ariſtotele: *Delphini, & Balenae, & reliqua Caete, quae non branchias, ſed fiſtulam habent, animal generant. Additur his Priſtis, & Bos. Nullus ex his enim Ova habere cernitur, ſed ſtatim foetum, ex quo redacto in formam animal conſtat, quemadmodum homo, & quadrupe-*

Author Diſſ. fol.19.

S.Ambr. lib.5. Hexam. cap.3.

Plin.lib.9.c.13.

Ariſt.lib.6. hiſtor.animal.capit.12.

drupedes, quae animal pariunt. Et de Anguillis, quae ex putri potiùs, ſeù limo terrae naſcuntur (ut in Paludibus experitur), quam ex Ovo, vèl ex ſemine ediſſerit Baſilius: *Anguillas quoque nec alio ullo modo, niſi ex foeculentia conſtitui materia, limoque conſpicimus, quarum nec Ovum, nec alium ullum modum ſucceſſionem efficere conſtat, ſed è terra progignuntur*. Antè quem etiam adnotaverat ſupra laudatus Ariſtoteles: *Sed ſunt, qui ex limo, & arena proveniunt, etiam ex iis generibus, quae per coitum, & Ovi primordio generantur. Quòd tùm aliis locis, tùm verò apud Gadium factum olim memoratur: Stagnis etiam sùb canis ortu reſiccatis, & limo jam arido, ubi primum inforibus reſtagnare loca inceperint, piſciculi naſcuntur generis Mugilum, quòd per coitum procreatur magnitudine aleculae parvulae: Nec in his aliquid vèl Ovi, vèl ſeminis continebatur*.

S.Baſil. lib. 3. Hexamer.

Ariſt. loc. cit. cap.18.

C. De Avibus autem, quòd pariformitèr ex putri; & ſi nos illud aſſeverantèr negavimus ſupra contrarium propugnando; habetur nihilominùs in ſententia ejuſdemet Authoris *Diſſertationis*, ex Euſebio Nierembergio, quaſdam Aves naſci in littore Oceani ex fragminibus lignorum in fungos converſis; quaſdam inſuper ex frondibus Alberum in flumen decidentibus: Ubi cùm neque ſemen, neque Ovum ullum ſupponatur, neceſſe habemus dicere, illas ex putri fuiſſe productas. Quòd robuſtum in praeſenti nobis praebet argumentum, utpotè ex confeſſione Adverſarii, qua major probatio deſiderari non poterit, juxtà etiam dictum Eucherii: *Validis abſque dubio nititur privilegiis, qui cauſam aſſerit de Adverſarii inſtrumentis*. Et ſecundùm ſcribebat Novatianus: *Firmum*

Supr. num.95.

S.Eucher. Homil.2. de Paſch.

Novat. de Trinit, cap.8.

eſt

eſt genus probationis , quòd ab Adverſariis ſumitur , ut veritas etiam ab ipſis inimicis veritatis probetur . Licèt hoc nobis ſolùm deſerviat pro demonſtrandà contradictione Authoris *Opuſculi* .

CI. Praetereà ſi ex eo quia Piſces, & Aves naſcuntur ab Ovis , valeret inferri , illa ejuſdem inter ſe eſſe naturae : Serpentes , qui etiam ſunt Ovipari , eſperientia teſte (immo formichae, pediculi , pulices , vermes , & hujuſmodi ex Ovis egredientes) deberent dici ejuſdem naturae cùm Piſcibus , & Avibus : Quando ex Geneſi reptilia ex humo habemus producta die ſexto : *Et dixit quoque Deus producat terra animam viventem in genere ſuo , jumenta , & reptilia , & Beſtias terrae ſecundùm ſpecies ſuas* . Perindè nihil in praeſenti firmat in ſui favorem per hanc primam paritatem Author *Diſſertationis* . Geneſ.1.ver.24

CII. Quò ad aliam verò partem , ſolis quippè Piſcibus , ac Avibus dixiſſe Deum: *Creſcite, & multiplicamini , &c.* , ultraquam quòd aſſerit ad propoſitum Auguſtinus : *Quòd in uno expreſſum eſt , in altero ſimili aeque intelligendum eſt* (adeòque hoc Divinum affatum poteſt etiam ad Beſtias Terrae applicari) , & ſibi ipſi contradicit noſter Author in praeallegatis verbis : *Solis dici Piſcibus, & Avibus , creſcite, & multiplicamini : Omnibus quidem animantibus dictum videtur , &c.* , nàm ſi ſolis dicitur Piſcibus , & Avibus , creſcite , & multiplicamini, quarè omnibus animantibus ? Et ſi ſingulis beſtiis , quae moventur ſuper terram , quarè ſolis Avibus, & Piſcibus ? Apparet inſuper inſubſiſtentia hujus aſſertionis tùm ex eo quòd etiam hominibus dixit Deus : *Creſcite, & multiplicamini, & re-* S.Augu. lib.3. Geneſ. ad lit. Geneſ.1.ver.4?

plete

plete terram, *& ſubjecete eam*, *& dominani Piſcibus Maris*, *& Volatilibus Coeli*, *& univerſis animantibus*, *quae moventur ſuper terram*; tùm ex alio capite, quia ſolis Piſcibus in praeallegato loco, non autem Avibus hoc affatus ſit Deus, cùm habeatur ibi: *Creſcite*, *& multiplicamini*, *& replete aquas Maris*: Quòd Avibus aptari minimè poteſt, utpotè extra aquam nidificantibus, & de quibus expreſsè addidit ipſe Deus: *Aveſque multiplicentur ſuper terram*. Adeòque juremeritò contra *Diſſertationis* Patronum (& ante ipſum, contra illius Anteſignanos) poterit inſurgere Aſcanius Martinengus, aſſerendo: *Cum autem benedictio reſpiciat prolem*, *& multiplicationem*, *neſcio quomodo ea prima pars*, *quae de Piſcibus loquitur*; *hoc eſt creſcite*, *& multiplicamini*, *& replete Aquas Maris*, *de Avibus ullis dictum eſſe poſſit*, *cùm nullum Volatile in Aquis pariat*, *vèl filios alat*. *Piſces omnes in Aquis prolificare certiſſimum eſt*, *itidem*, *& in Aquis degere*: Quibus ſic ſtantibus non opus eſt in praeſenti explicare quanti roboris ſit haec prima ratio Phiſiologica noſtri Authoris pro demonſtrandâ aequalitate inter Piſces, & Aves, cùm ſufficientèr ex ſeipſa innoteſcat, ſuaeque veritatis radios Sapientium Oculis transfundat.

Martineng. in Gloſs. Magn. lit. Geneſ., ad verb. *creſcite*.

Authòr Diſſer. fol. 26.

CII. *Praeterea* (proſequitur idem Author) *utraque mammis carent*, *& veſica*, *quia excrementum humoris illis in plumas*, *his in ſquamas abit*, *ut ex Ariſtotile docet Franciſcus Valleſius lib. de Sacr. Philoſoph. cap.* 1., *ſquammarum verò*, *& plumarum materiam eſſe aquam*, *quae mingenda foret*, *Author eſt Ariſtoteles*, *ut multis aliis in locis*, *ita tertio de partibus animalium cap.* 7., *quòd idem de alimento pennarum*

narum

narum Avium, dixit pluries in eodem opere. At qualis ſit conformitas ſententiae Valleſii cùm mammis, & veſica, de quibus in praeſenti loquitur Author *Diſſertationis*, qui legit ad ſufficientiam intelligit; cùm Valleſius nec per ſomnium de Mammis, & Veſica verbum ullum faciat. Deinde, ſi haec modica, immò minima convenientia Mammarum, & Veſicae ſufficeret ad oſtendendum tam Aves, quam Piſces ex aquâ fuiſſe deducta, foreque inter ſe ejuſdem conditionis: Et dum Serpentes Veſicâ, & Mammis carent, deberent paritèr dici ex aqua progeniti. Vèl quia, tam Deus, quam Angeli corpore carent, poſſent pari modo ejuſdem inter ſe extimari naturae. Iterum, quia homo aliquam habet convenientiam non ſolùm cum Lapidibus, cum Arboribus, & cum Angelis, ſed etiam cum ipſis Piſcibus, & Avibus: *Habet namque* (ut eſt vulgare dictum Gregorii) *commune eſſe cum lapidibus, vivere cum Arboribus, ſentire cum Animalibus, intelligere cum Angelis*; debere ipſum perpendi in ſtatera ejuſdem qualitatis, & conditionis cum lapidibus, cum arboribus, cum animantibus, & cum ipſis Angelis nemo audebit negare. Non obſtante, quòd nulla ſit res, quae ſaltim in ratione Entis (ſicuti etiam de Creaturâ cum ipſo Deo) convenientiam aliquam cum reliquis exiſtentibus non habeat rebus.

S.Greg. Hom. 29. in Evang.

CIII. Et mirum, quòd cum tot ſint differentiae tum genericae, & ſpecificae, tum individuales, & accidentales inter Piſces, & Aves, Author *Diſſertationis* omnibus aliis omiſſis, ſolis ſe alligaverit Mammis pro ſimilitudine inter praefa-

tos

tos oſtendenda. Quando de Mammis etiam ait Stagyrita: *Piſcium nulli cervix, nulli manus, aùt pedes, nulli teſtes, nulli Mammae. Sed Mammae quoque caeteris negata eſt omnibus, quae animal nequeunt generare. Nec verò Viviparis omnibus data eſt, ſed iis tantùm, quae protinùs intra ſe animal formant, nec primùm Ovum, deinde animal. Vndè ſit, ut Delphinus etiam mammas habeat; animal enim concipit illicò, & creat. Continet enim hic ſuas mammas non parte ſuperiore, ſed propè genitale, nec modò quadrupedum papillas conſpicuas habet, ſed veluti alveos quoſdam humoris duos, utroque de latere ſingularem, è quibus lac fluit, quòd ore Catulorum ſectantium Parentum excipiatur. Idque jam nonnullis perſpectum eſt*. Et de Veſica: *Renes*, inquit, *atque Veſicam omnes, quae animal generant quadrupedes poſſident*.

Ariſt. lib. 2. hiſtor. animal. capit. 13. text. 2.

Idem ibid. c. 16

CIV. Et quidem in controverſiam revocari non poteſt, Aves, & Piſces ad diverſa animantium genera ſpectare; cum diſtinctim in Sacrâ Scripturâ numerentur: *Dominamini* inquit Deus ad Adam, *Piſcibus Maris, & Volatilibus Coeli, & univerſis animantibus, quae moventur ſuper terram*: ad cujus propoſitum ſcripſit Mediolanenſis Archiepiſcopus: *Tria genera animantium eſſe non dubium eſt, Terrenum, Volatile, Aquatile*. Itidem, animam Piſcium imperfectiorem eſſe animae Avium: Author eſt Philo Judaeorum Diſſertiſſimus ſcriptor, inquiens: *Animarum aliqua quidem eſt tardiſſima, & minùs expreſſa, quae generi Piſcium obvenit: Aliqua verò acutiſſima, quae hominis eſt: Quae autem ambarum intermedia, terreſtribus, & Volatilibus data eſt. Magis verò haec ſenſibilis, quam in Piſcibus. Haebetior verò quam quae in hominibus*.

Geneſ. 1. ver. 45

S. Ambroſ. lib. 5. Hexamer. cap. 12.

Phil. lib. de conſt. Mundi.

minibus. Quamobrèm Deus inter animantes, Piſces priùs condidit, magis corporis ſubſtantiae, quam animae participes, & quodammòdo animalia non animalia, ac mobilia inanima, atque ad ipſam ſolam corporis conſervationem Deus illis indidit ſpiritum animalem; ceù (ut dicitur) Sal Carnibus inſpergitur, ne facilè putreſcant. De ipſis itidem Piſcibus inquit etiam Perèrius (quòd de Avibus neque ab ipſo, neque ab alio aſſeritur:) *Sunt Piſces ex toto genere imperfectiores, quam terreſtres animantes, ut multis argumentis patet: Etenim temperamentum corporis eorum multò imperfectius eſſe indicium eſt exiguum alimentum, quòd praebent Piſces: Quamobrem etiam jejunantibus, & macerationi Corporis intentis, quibus eſus animalium terreſtrium interdicitur, eſus tamen Piſcium conceditur. In Piſcibus quoque obſcurior eſt figuratio, & digeſtio membrorum. Deindè omnes ſenſus tam interiores, quam exteriores imbecilles, & imperfectiores habent Piſces, cum degant in Aqua, quae craſſius eſt Corpus, quam aer. Ad hoc nunquam poſſunt Piſces ab homine manſueſieri, nec ſe ab eo contractare ſinunt, nec poſſunt quidquam condoceri, nec humanae conſuetudinis, ac Societatis ſunt capaces: Excipio paucos quoſdam, ut Delphinum, &c.* Perèr. in cap. 1 Geneſ. ver. 20.

CV. Neque hic ſilentio eſt praetereundum, quòd Aves diverſam ſortitae ſunt figuram, variamque corporis diſpoſitionem, quà gaudent Piſces, uti ſenſibus obvium eſt: Nàm Aves conſpiciuntur bipedes, ambulantque ut plurimum pedetentim ſuper terram: Quando Piſces reptant in aquâ, & extra illam vivere minimè poſſunt. Et Sanctus Baſilius etiam differentiam inſtituit inter Aves, & Piſces, ibi: *Quorum haec differentia eſt,* S. Baſil. lib. 8. Hexam.

eſt, quia nullus Alitum ſinè pedibus eſſe poteſt, utpotè qui paſtum conſecuntur à terra, & ob hoc neceſſariò pedum utuntur obſequio. Itidem in Piſcibus non aſpiciuntur alae, neque plumarum varietates, ſicuti pulchritudine Colorum veſtiuntur Aves. Quòd licèt in aliquibus Piſcium dentur ſquamae, quibus teguntur, ultraquam quòd iſtae abſolutè, & ſimplicitèr non poſſunt dici plumae, neque ſimilitudinem ullam habent cùm plumis ipſis,(aliàs etiam quadrupedum pili poſſint dici plumae, ex eo quia illis animalium corpora circumamictuntur) nonnullae, immò innumerè Piſcium ſpecies vèl ſquamis carent, ut Anguillae, Apulae, & hujuſmodi, vèl ſunt lapidibus adnexi, ut Conchae, Oſtrae, & ſi quae ſunt hujus generis. Quando ex Avibus nulla enumeratur, quae ſuis non ſit circumdata plumis: Ut ait Ariſtoteles: *Piſces à caeteris animantibus differunt, eo quòd non pilis, ut terreſtria, quae animal generant; non cortice, ut nonnullae Ova parientes quadrupedes; non penna, ut genus Avium teguntur, ſed plurimi ſquamoſi ſunt, pauci quidam ſcabri, pacuiſſimi lenes. Ergo cartilagineorum alia aſpera, alia lena, Concri etiam & Anguillae, & Tumni lenes ſunt*. Quae omnia, & mille alias differentias conſimiles inter Piſces,& Aves proterere ſi voluerit Author *Diſſertationis*, ſola convenientia Mammarum, & Veſicae contentus, penès ejus arbitrium ſit, non autem penes Candidatos illos, qui in Philoſophicis diſceptationibus apprimè verſantur: Cum puerile omninò videatur ſolidas diſparitates relinquere, inconcuſſaſque poſponere rationes, ut anilibus quis ſe comendet ſubſtentaculis, aùt fallacibus devincatur argumentis.

Ariſt. lib. 2. hiſtor. animal. capit. 13. text. 6.

mentis. Alitèr enim contra hujuſmodi valeret reprehenſio illa Chriſti Domini ad Scribas, & Phariſaeos contemnentes mandata legis, & tantummodò decimantes Mentham, & Cyminum: *Vè vobis*, inquit, *Scribae, & Phariſaei, qui decimatis Mentham, Anethum, & Cyminum, & relinquitis ea, quae graviora ſunt legis judicium, & miſericordiam, & Fidem: Haec oportuit facere, & illa non omittere. Excolentes culicem, Camelum autem glutientes.* Matth. cap. 23. verſ. 23.

CVI. Addit tertio Author Diſſertationis: *Vtrique etiam cauda dirigunt curſum, itaùt ab Avibus quidam navigandi artem didiciſſe hominem putarint, undè Plinius lib. 10. cap. 10. de Milvis ait: Iidem videntur artem gubernandi docuiſſe, caudae flexibus in Coelo, monſtrante natura, quid opus eſſet in profundo.* Haec etiam (à Voſſio ad literam exarata) non minus provocant riſum, ac antecedentia; eodemque modo ac illa reicienda cenſentur. Abſque eo, quòd minutatim velimus examinare, an in omnibus eodem modo adſit cauda Volatilibus pro itinere dirigendo, ſicuti vult ipſe Author; cùm videantur Coturnices, Anſeres, Perdices, ac innumerae aliae Aves ob longa cauda carere, & pedibus potiùs extentis, quam cauda iter dirigere: Docente Peripateticorum Magiſtro, quòd: *Cauda etiam talis, qualis data eſt quadrupedibus volucres carent, ſed pennis conditam gerunt, brevemque longipedes, & planipedes ſunt, majorem autem, quae è contrario conſtant, quae vèl contractis ad ventrem pedibus volant, cùm illae caudae puſillae garulae porrectis in caudam cruribus ferantur.* Aùt prorsùs attendere, quòd etiam ſerpentes ad ſimilitudinem

Author Diſs. fol. 26.

Ariſt. lib. 2. hiſtor animal. capit. 12. text. 4.

Piſcium cauda ſe dirigunt in viis ſuis: Non obſtante, quòd & ipſi educti ſint è terrâ, ut ex Geneſi adnotavimus paulò ſuperiùs: Cùm nobis hic ſufficiat dicere Aves multotiès, immò ut plurimum, pedetentim, non ſecùs ac homines ſuper terram deambulare. Adeòque eodem pari diſcurſu poſſe Aves dici è terra productas, à quâ eductus fuit ipſe homo.

Supr. nu. 101.

CVII. Meliorem aliquantulùm veriſimilitudinem inſpicitur habere illa congruentia, quam hic quarto loco adducit Author *Diſſertationis* dicendo: *Vivunt itidem in aere; quòd elementum magnam habet cùm illo aquae cognationem, ſi quidem ex Aquarum diductione, & rarefactione aer generatur, & viciſſim aqua ex aeris condenſatione: Utrumque etiam Elementum eſt Diaphanum, humidum, facile penetrabile, & tranſmutabile: Quapropter Avium multae aquis delectantur, utpotè Merguli, Anates, Anſeres, Fulicae, Cygni, aliaeque complures*: Eodem *paritèr modo moventur: Quòd enim Piſcibus ſquamae ſunt, & pinnae, quibus aquam diſſecant, ſeque movent, hoc Avibus ſunt plumae, & alae, quibus aerem findunt, & ſe agitant, &c.* At haec verſimilitudo non eſt ita evincens, ut ex illa Author *Diſſertationis* poſſit ſibi captare triumphum, abſque eo, quòd noſtrum Aſſertum ſuum ampliùs habeat locum, illius nempe *Diſſertationem* parùm, aùt nihil probare id, quòd probandum aſſumit: Nàm ſi velimus loqui de Aere merè elementali (de quo propriè deberet inſtitui ſermo, non autem de Vaporibus ex aquâ exalantibus, & in aquam ſe diſſolventibus, qui largo modo poſſunt tantummodò dici Aqua, & de quibus S.Auguſtinus, & Di-

Author Diſs. fol. 16. & 27.

vus

vus Thomas volunt Aves productas, ſcribendo: *Ex aqua denſiori, & craſſiori factos eſſe Piſces: Aves verò ex aqua ſubtiliori, quae ad aerem accedit, vèl in Vaporem, & nubem eſt verſa*), certum omninò in Philoſophiâ videtur, has ſimilitudines, quas hic texit Author *Diſſertationis* non reperiri inter Aquam, & Aerem elementalem, in quo volitant Aves, caeteraque reſpirant animantia; quia cùm ſint Elementa inter ſe omninò diſtincta, diſparatas oportet habere proprietates, & conditiones, abſque eo, quòd Aqua poſſit in Aerem reſolvi, vèl è contra Aer in Aquam tranſmutari. Licèt contrarium experiamur de vaporibus in vaſe vitreo, vino, vèl aqua frigidis pleno, quòd aeſtate ferveſcente conſpicitur extrinſecùs facere guttulas, paulatim fluentes; quòd evenit, quia vapores per aerem immixti tangentes vas vitreum frigidum colliguntur, & convertuntur in guttulas; cùm iſtae guttulae non poſſint eſſe aqua egrediens per porulos vaſis; nàm ſi aqua fuerit in vas vitreum calida, deberet etiam per porulos egredi, quòd non experimur. At hoc de Aere negatur, ut fuſo calamo oſtendit Iſaac Cardoſus in ſua Philoſophiâ Liberâ, qui licèt nobiſcum admittat Vapores in aquam poſſe converti, cùm ipſi reverà ſint aquei, negat nihilominùs Aquam poſſe in aerem mutari, vèl è contra; & interpoſita experientia, cui multùm fidit, juxtà illud Hippocratis: *Oculis magis credere oportet, quam opinionibus.* Sic ex Beligardo diſcurrit: *Beligardus experimentum facit in uncia aquae in vaſe vitreo contenta, quòd ſit viginti librarum capax, collo duobus pedibus longo, & craſſitudine digiti tubulato, quantum vis ſu-*

S.Augu. lib.3. de Geneſ. ad liter. cap.3. S Thom. 1. p. q.71. art.1.

Hippocr. lib. de Aetat. text. 12.

Card. lib.1. q.2

pra

pra cineres calidos tepefacta in vaporem abeat, multis annis concreſcit in guttas, & ad fundum relabitur continentèr, atque ubi refrigeſcet idem pondus, ac menſura deprehendetur, neque levior erit effecta, neque ſiccior: Vndè clariſſimè demonſtratur nullam ejus particulam in aerem eſſe converſam: Ille enim cùm liberum habeat exitum aperto collo foras abiret, atque ita tota aqua conſumaretur brevi tempore. Quòd debet etiam currere in principiis Ariſtotelis docentis circa elementa: *Sed tamen ſimplicitèr quatuor exiſtentia unius unumquodque eſt. Terra enim ſicci magis quam frigidi: Aqua autem frigidi magis, quam humidi: Ignis autem calidi magis, quam ſicci: Aer autem humidi magis quam calidi.* Nàm ſi humidum potiùs eſt aeris, quam aquae, & frigidum magis convenit aquae, quam terrae, unum elementum non poteſt in aliud converti; nè illorum eſſentia per contrarias proprietates deſtruatur: Alitèr enim poſſet etiam Aqua in Ignem converti: Et ſic frigiditas in Igne reperiretur, quòd eſt abſurdum.

Ariſt. lib. 2. de gener. & corrupt. cap. 3. text. 23.

CVIII. Quibus ſic ſtantibus, non eſt cùr Aves debeant dici progenitae ex Aquâ, quia haec convertitur in Aerem, ubi ipſae Aves volitant, & non potiùs ex terra procreatae, ubi vivunt, operantur, & deambulant. Cùm etiam Terra (ſi eſſent tranſmutabilia Elementa) poſſet in Aquam converti, eo quòd de frigiditate participat, quae in gradu perfecto reperitur in Aquâ. Quando etiam, caeteris paribus, Aves plus de Terrâ impertiunt, quam de Aere: Affirmante Angelico Praeceptore: *Quòd corpora Avium, & Piſcium poſſunt duplicitèr conſiderari, uno modo ſecundùm ſe, & ſic neceſſe eſt, quòd in eis magis terreſtrè elementum dominetur:*

S.Thom. 1. p. qu. 71. art. 1. ad 2.

tur : Quia ad hoc quòd ſiat temperatio mixtionis in corpore Animalis , neceſſe eſt , quòd quantitavè abundet in eo Elementum , quòd eſt minus activum , ſcilicèt terra : Sed ſi conſiderentur ſecundùm quòd , ſunt nata moveri talibus motibus , ſic habent affinitatem quandam cùm corporibus in quibus moventur .

CIX. Ad id , quòd additur ex Authore *Diſſertationis* , ſcilicet : *Utrunque elementum eſt humidum*, licèt videatur habere congruentiam credibilitatis in Ariſtotile,qui humiditatem magis vult in Aere, quam in Aquà ; nihilominùs illam ab Aere penitùs eliminant Moderni , eamque tantummodò in elemento aqueo recognoſcentes , juxtà Galeni affatum : *Aliud elementum ſummè humidum , praeter quam Aquam fateri ſumma dementia eſt* . Aſſeverans ad noſtrum propoſitum ſupra laudatus Cardoſus: *Non ſatis erat Peripateticis Aeri calorem aſcribere , contra ipſius naturam , ſed etiam illi imponunt humorem , & non quemcumque , ſed ſummum , contra ipſius temperiem , contra ſenſum , & contra experientiam . Nàm aer nunquam nos humectat , niſi cùm vaporibus , aùt nebulis repletur : Si verò ſua ſponte relinquitur , & liber ſit à qualibet cauſa externa , ſemper exiccat , ut teſtatur Aer purus , teſtantur montium cacumina, & ipſi panni Aeris expoſiti, &c.* Adeòque etiam in Philoſophicis à veritatis tramite alienatur *Diſſertatio* noſtri Authoris , ad hoc ut non probet id, quòd probandum aſſumit . Quòd quando reverà Phiſiologicis ſuis rationibus demonſtraſſet Aquam , & Aerem maximam inter ſe habere cognationem , hoc nihil conducit in Moralibus , à quibus longè debet diſtare Philoſophicus diſcurſus , juxtà monitum Apoſtoli ad Coloſſen-

Galen. 1. de elem. cap. 41.

Cardoſ. lib. 1. Phil. Lib. q. 21.

ſes

Ad Coloſſ. 2. verſ. 8. ſes ſcribentis: *Videte*, inquit, *ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditiones hominum, ſecundùm elementa Mundi*. Quòd propriè quadrat in praeſenti, ubi Author *Diſſertationis* per mutuam inter ſe convenientiam elementorum Aeris, & Aquae intendit philoſophare de permiſſione Avium in Antepaſchali jejunio. Quando etiam in ſuo Commonitorio Lyrinenſis,

Lyrin lib. contr. proph. Vocum Novit. dicens: *Ille verus eſt, & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Corpus Chriſti diligit, qui Divinae Religioni, qui Catholicae Fidei nihil praeponit, non hominis cujuſpiam authoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philoſophiam; ſed haec cuncta deſpiciens, & in Fide fixus, ſtabiliſque permanens, quicquid univerſaliter antiquitùs Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognoverit, id ſolùm ſibi tenendum, credendumque decernit. Quidquid verò ab aliquo deinceps uno, praeter omnes, vèl contra omnes Sanctos, novum, & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad Religionem, ſed ad tentationem potiùs intelligat pertinere*.

CX. Quòd autem multae Avium aquis delectentur, nec etiam in praeſenti debet attendi; quando plures longè ab Aquis verſantur in terra, ut Gallinae, Columbae, Turtures, Coturnices, Phaſiani, Perdices, Turdi, Pavones, & mille aliae hujuſmodi ſpecierum; ex quibus potiùs (utpotè à multitudine) deberet ſumi certa regula dignoſcendi Avium naturam, non autem ex paucioribus, uti in alia materia dicebat praelaudatus Lyrinenſis:

Idem in Comment. cap. 28. *Quicquid verò praeter omnes, & contra omnes ſenſerit, id inter proprias, & privatas opiniunculas à communis, & publicae generalis ſententiae*

tentiae authoritate ſit ſecretum, ne cùm ſummo aeternae ſalutis periculo, univerſi Dogmatis, antiqua veritate dimiſſa, unius hominis novitatum ſequamur errorem. Maximè quia etiam Cervi deſiderant ad fontes Aquarum, Bubali, & Apri frequentiùs ſe ſe involvunt in luto aquarum multarum; non obſtante, quòd ex terrâ dicantur producti, utpotè quadrupedes, & Beſtiae terrae; nàm cùm ſint corpora ex quatuor elementis compoſita, ſicuti & caetera animantia, in ipſis magis praevalet ignis per calorem, quam aqua per frigiditatem, aùt per humiditatem. Adeòque ne in eis diſſolvatur compoſitum per abundantiam caloris, refugiunt ad aquam, ut per illius frigiditatem contemperetur calor in igne latitante. Idem parimodo dicendum eſt de Mergulis, Anſeribus, Fulicis, &c. Quòd ſi non ſat eſſet pro hac enervanda difficultate, impromptu eſt alia reſponſio; hujuſmodi nempe Aves animalia eſſe Amphibia, ut expendemus infra; & ſic nilmirum ſi gaudeant aquis: Adeòque cùm omnis regula ſuas patiatur exceptiones, ubi nos loquimur de Avibus abſolutè, & ſimplicitèr eductis ex terrâ, non ſe debent in medio proferrè amphibia pro noſtrâ debilitandâ concluſione. Infr. num. 113.

CXI. De ſimilitudine autem plumarum, & ſquamarum, alarumque, & pinnarum, jàm diximus ſupra, illas non eſſe ejuſdem rationis, & ordinis inter ſe; multòque minus pinnae, & ſquamae in omnibus conſpiciuntur Piſcibus, quia eorum nonnulli reperiuntur lapidibus adſtricti, ut Conchae, & Oſtrae, quidam penitùs ſquamis deſtituti, ut Anguillae, Apulae, & Tumni; dicente Supr. nu. 105.

 de

Ariſt.lib.1.hiſt. animal. cap. 5. de hoc Ariſtotele: *Quae autem genere naturae pedibus carent, haec aùt pinnis natant, ut Piſces, aùt nullis omninò habent, ut Muraena; ſed ita Mari utuntur, ut Terra Serpentes, modoque ſimili reptant in humore. Cartilaginei quoque generis aliqui pinnis carent, videlicèt quae plana ſunt, ut Rana, & Paſtinaca:* Adeòque quantùm ad hoc non multum immorandum venit pro illius enucleatione.

CXII. Circa id, quòd de Avium cibo addit Author Diſſer. fol.27., & 28. Author *Diſſertationis: Nonnullae item Aves Piſcibus vivunt, earumque propterea carnes Piſces ſapiunt, atque olent, ut praeſertim experiri eſt in Fulicarum carne: Mergus quoque diù, & profunde ſe aquis immergit, atque inde Mergi eſt nomen ſortitus, &c.*. Idem etiam reſpondendum videtur, ſicuti affirmavimus de antecedentibus; quòd ſi argumentum concluderet: Cum innumerae aliae frumento, holeribus, pomiſque, atque reliquis terrae frugibus veſcantur, quae data hominibus fuerunt in eſcam; immò nonnullae carnes animantium ſumunt in cibum, uti Vultures, Accipitres, Aquilae, Corvi, & hujuſmodi, etiam concluderetur à cibis terreis, quòd Aves ſint ex terra eductae, à qua talia egrediuntur cibaria; ſicuti etiam in caſu noſtro diſcurrit praelaudatus Joannes Gerardus Voſſius (cujus eſt literalis oppoſitio), dicens: Joann. Ger. Voſſ. lib. 3. de Orig., & prog. Idolatr. cap.78 *Aves quippè omnes, ſi paucas, quae natare ſciant excipias, ſolis gaudent terris; in his quieſcunt, dormiunt, nidificant. Nec diffiteor aliquas Piſcibus vivere, ſed longè plures carne, frugibus, ſemine, arborum fructibus, quae terrae debeantur. Atqui in eo conſenſiunt Medicorum filii, illo quòdque nutriri, unde originem trahit.* Immò, quia etiam homines

Pi-

Piſcibus nutriuntur, praecipuè Ichtyophagi, de quibus ait Hierònymus: *Ichtyophagi, gens errans in littore Maris Rubri ſupra Petras ſolis calore ferventes aſſant Piſces, & hoc ſolo alimento victitant.* (Quòd etiam hiſce temporibus de Aethyopis circa promontorum Bonae-ſpei habitantibus referunt nonnulli: Et de pleriſque Aſiae, & Graeciae Populis, Author eſt Bellonius), etiam iſti deberent dici ex aqua producti: Quòd ſine nauſea legi non poterit. Indeque ſi addatur hujuſmodi Aves eſſe Amphibias, nihil probatur in caſu, &c. S.Hieron. lib. 2 cont. Jovinian. Bellon. lib. 1. obſerv.

CXIII. *Piſcium demum*, (concludit *Opuſculi* Patronus) *Aviumque Carnes ſimillimas eſſe, vèl ex eo conſtat, quia olim pro Menſis iiſdem ſanè condimentis praeparabantur, olio nempè principaliùs, olentibuſque herbis, & Aromatibus, ut videre eſt apud Apicium Coelium de obſoniis, & condimentis toto lib. 6. &c., atque eodem paritèr modo adſervabantur, nimirum Aceto, quòd etiam noſtris temporibus in uſu eſt, ut apud recentiores Authores, qui de arte coquinaria tractant, unuſquiſque legere poteſt.* At ex hac coquinaria paritate citò me expediam, ne hoc qualecumque ſit opuſculum meum, in Sordibus coquinae coinquinetur & ipſum. Animadvertendo ſolùm, quòd ſi ex eo quòd Aves olim Oleo, & Aceto perfricabantur, non ſecùs ac Piſces ſufficeret ad oſtendendum Aves, & Piſces ejuſdem eſſe naturae; cùm non ſolùm olera, legumina, & aliquando ipſae Carnes olio, & Aceto, ad inſtar Piſcium condiantur, ſed etiam multotiès ipſi Piſces Butyro, & Sagimine, non ſecùs ac Carnes praeparentur, Olera, & legumina deberent extimari ejuſdem naturae cùm Piſcibus, & Piſces Author Diſſer. fol. 28.

 ejuſ-

ejuſdem conditionis cùm Carnibus; deſumpta eorum eſſentia à ſimplici extrinſeca unctione Oleĩ, & Aceti. Deindè, cùm Aves in praeſenti diverſimodè condiantur à Piſcibus, ſagimine nempè, larido, vèl Butyro, non autem olio, & aceto, ſicuti fiebat temporibus Apicii Coelii, ſaltim nunc Aves debent dici diverſi generis, & naturae ab ipſis Piſcibus.

CXIV. Aliquam nihilominùs difficultatem videtur praeſeferre id, quòd de Fratribus Paulinis addit ipſe Author *Diſſertationis* (quodve multos ſtrinxit ad humeros) dicendo: *Hinc Fratres è Sancti Franciſci à Paula familia, qui ad vitam Quadragèſimalem ſolemni ſunt adſtricti voto in Gallis, Fulicis oleo conditis, ſinè ſcrupulo veſcuntur, ut mihi retulit Reverendiſſimus P. Fratr. Joſeph Syrus Vico Mediolanenſis praefatae Religionis Ex-Generalis, idemque proximè praeterito Decembris Menſe confirmarunt duo Fratres ejuſdem Familiae è Gallia oriundi, qui hic, Roma, ad noſtram viſendam Civitatem pervenerunt.* At quicquid ſit de veritate Aſſerti, quam hic indiſcuſſam relinquimus, non obſtante, quòd ea, quae sùb oculorum experientia non cadunt, ſed fama traduntur, multotiès falſitate admiſcentur, juxta Hierònymi monitum: *Multùm in utramque partem fama mentitur, & tàm de bonis mala, quam de malis bona falſo rumore concelebrat*. Id affirmante Tertulliano: *Fama malum plurimum mendax, quae ne tùm quidem cùm aliquid veri affert, ſinè mendacii vitio eſt, detrahens, adijecens, demutans de veritate. Ea illi conditio, ut niſi cùm mentitur perſeveret, & tandiù venit, quandiù non probat.* Quando forſitan praefati Patres, qui hoc Domi-

Author Diſſ. fol. 29.

S. Hieron. Ep. ad Ruffin.

Tertull. in Apolog.

no Authori retulerunt, locuti fuiſſent non de Fulice poſitivè, ſed de illa Avium ſpecie, de qua inquit Author Theatri Vitae Humanae: *Eſtque ſpecies quaedam Anatis circa Inſulam S. Laurentii, quae toto corpore pennata, pedes habet ſquamarum inſtar, & alas exiguas verſicolores, eaſque ſolidas, & velut oſſeas*. Et affirmat Vulturrienſis: *De his itaque certum eſt, quòd in Orbe noſtro circa Germaniam, nec per coitum gignuntur, unde & Carnium eorum in Quadragèſima, nonnulli etiam Chriſtiani in noſtra aetate in locis, ubi hujuſmodi Avium copia eſt uti ſolebant; ſed Innocentius Papa III. in Lateranenſi Concilio Generali ne ultra fieret, vetuit*. Hoc inquam circa veritatem aſſerti ſeponendo; proh quantum facit ad praeſens! Si Patres Minimi, omnes, ubique, & ſingulis veſcerentur Avium ſpeciebus, utique ex hac paritate aliquid poſſit in praeſenti probare Author *Diſſertationis*, Aves nempè ejuſdem eſſe naturae cùm Piſcibus: Quia cùm Patres iſti ſint quarto Voto adſtricti de non comedendis Carnibus, ſi omnes ubique, & indifferentèr cujuslibet ſpeciei comederent Aves, perſuaſum utique nobis traderent, Volatilia à Piſcibus in nihilo differre juxtà affatum Lyrinenſis: *In ipſa Catholica Eccleſia id tenendum eſt, quòd ubique, quòd ſemper, quòd ab omnibus creditum eſt*. At ubi Avium comeſtio in ſola Gallia ad Paulinos illius Regionis, & ad Fulices tantummodò ſe reſtringit, non videtur per hoc omninò probari id, quòd demonſtrandum aſſumitur: Quia ſicuti inter Quadrupedia animantia quaedam dantur amphibia, uti Teſtugines, Lutrae, Fibri, & hujuſmodi, ex doctrina Cornelii à Lapide: *Ad Piſces*

Theatr. Vit. Human. verſ. Aves.

Vulturar. in dier. Canicul. tom. 7. coll. 6. de Avib. f. 82.

Lyrin. in commonit. cap. 2.

Cornel. à Lap. in cap. 1. Geneſ. verſ. 20.

ſces referuntur amphibia, uti ſunt Fibri, Lutrae, Hippotami, quae licèt pedes habent iis tamen non gradiuntur dùm ſunt in aquis, ſed iis tantummodò utuntur pro remigiis: Sic etiam poſſunt dari Aves amphibiae, quae licèt ſint Volatiles; nihilominùs inter Piſces connumerantur, uti Fulicae, Anſeres, & ſimilia, de quibus ait Benedictus Heftenus: *Sùb Anſeris enim nomine comprehendi ea Volatilium genera, quae nos Anglicè Bernaclas, & Puffines vocamus (latinè Brantes, vèl Barniclas, & Puffinos appellat Geſnerus lib. 3. de animal., §. de Anſere), quae noſtrates inter Piſces computant, & comedunt certiſſimùm eſt.* Eoque fortiùs, quia ciborum delectus pendet ab Eccleſiae Authoritate, & ex ipſius mandato ſtat illorum prohibitio, & conceſſio, ut dicebamus ſupra; ſicque potuit Eccleſia in Religionibus Galliae, Fulices tantummodò inter Piſces annumerare, utpotè incumbantes aquis: Sicuti ajebat Hieronymus in materia jejunii, & ciborum varietate: *Quòd unaquaeque Provincia abundat in ſuo ſenſu, & praecepta majorum leges Apoſtolicas arbitrentur.* Et Divus Auguſtinus: *Quòd Catholica Eccleſia per Orbem Terrarum diffuſa tribus modis probatur exiſtere. Quidquid enim in ea tenetur, aùt Authoritas eſt Scripturarum, aùt Traditio Univerſalis, aùt certè propria, & particularis Inſtitutio; Sed Authoritate Scripturarum tota conſtringitur. Traditione majorum nihilominùs tota: Privatis verò conſtitutionibus, & propriis informationibus, unaquaeque pro locorum varietate, proùt unicuique viſum eſt ſubſiſtit, & regitur.* Adeòque comeſtio Fulicarum apud Patres Minimos in ſolâ Galliâ non debet ſecum trahere per Univerſum Orbem alia-

Bened. Heften. in diſquiſ. Monaſter. lib. 10. tract. 6. diſq. 3.

Supra nu. 67.

S. Hieron. Epiſtol. 18.

S. Auguſt. relat. in Can. Catholica diſt. 11.

aliarum Avium comeſtionem in Antepaſchali jejunio, vèl quia ſunt animantia Anphibia, vèl quia ex peculiari inſtitutione Gallicanae Eccleſiae fuerunt pro licitis introductae in illis Regionibus; ubi ſi Fulicae ſint in uſu apud Patres S. Franciſci de Paula, à fortiori credendum etiam pro licitis apud reliquos Chriſti-fideles illius Regionis tempore jejunii.

CXV. *His poſtremo addendum* (proſequitur ipſe Author), *quòd etiam Medici noſtro Aevo Piſcium, Aviumque carnes, quòd ad ſubſtantiam adtinet, ſimiles exiſtimant, dùm ex more Aegrotis, & convaleſcentibus, pro caena praeſertim, ne ſtomachum aliis Carnibus obruant, Piſcium, vèl Avium eſum facilè concedunt, quòd ex Galeno didicerunt, qui lib. 3. de alimentor. facult., inquit: Univerſum genus Avium pauciſſimum praeſtat alimentum. Et Hippocrates lib. de effectib. ſect. 5. de Piſcibus ſcribit: Piſces leve alimentum ſunt, tùm cocti, tùm aſſati; & ipſi per ſe, & cùm aliis cibis*. At huic aſſertioni medica requireret reſponſio (quae noſtrum forſitan excedit captum), & ſuis relinquenda eſſet Profeſſoribus, cùm dicat Hierònymus: *Quòd Medicorum eſt, promittunt Medici, tractant Fabrilia Fabri*. Et velle alitèr procedere, eſſet idem, ac ipſius S. Doctoris irriſionem incurrere, ubi addit: *Puerilia ſunt haec, & circumlatorum ludo ſimilia docere, quòd ingnoras: Immò ut cùm ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire quòd neſcias*. Nihilominus, ne ſicco pede pertranſeundo hanc difficultatem, videamur quaſi sùb illius gravitate devicti ſuccumbere, dicimus experientia magiſtra, non eſſe tàm verum (ſicuti Author affirmat) Piſces aequè, ac Aves Infirmis à Me-

Author Diſſer. fol. 29.

S. Hieron. Ep. ad Paul. relat. in *Praefat. Bibliot.*

Idem ibid.

à Medicis permiſti; cùm illud de Piſcibus numquam in hujuſmodi occaſionibus obſervare potui, ſaepiùs autem de Avibus: Sed etiam ſcio quoſdam Monachos apud S.Bernardum de eſu Piſcium conqueſtos fuiſſe: Undè de illis, & nomine eorum Mellifluus Doctor ajebat: *Legumina*, inquit, *ventoſa ſunt, Caſeus Stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquae non ſubſtinet pectus, caules nutriunt melanconiam, cholaram porri accendunt, Piſces de Stagno, aùt de lutoſa Aqua meae penitùs complexioni non concruunt. Quale eſt hoc, ut in totis fluviis, Agris, hortis, Cellariiſque, reperire vix poſſis quòd comedas? Putate quaeſo Monachum eſſe non Medicum, nec de complexione litigandum, ſed de Profeſſione.*

S. Bernard. ſerm. 30. ſup. cant.

CXVI. Nec ſententia Galeni, hic in medium ab Authore *Diſſertationis* allata aliquid in contrarium probat, cùm ille de levitate Ciborum tantummodò loquatur, non autem verbum ullum faciat de Piſcium ordinatione pro infirmis, ut conſideranti ex ſeipſo innoteſcet: Immò ipſe *Opuſculi* Patronus videtur ludere verbis in praeſenti, & (ad morem) detruncat authoritatem Galeni, ut ſic decipiendo Innocentes ſuum poſſet Aſſertum comprobare; cùm Phyſicorum ille Magiſter nunquam abſolutè dixit: *Aves pauciſſimum praeſtare alimentum* (ſicuti ſimplicitèr de Piſcibus illud affirmat Hippocrates), ſed comparativè ad quadrupedia, & praecipuè ad carnem Suillae, quae maximum praebet nutrimentum allocutus fuit in praeallegato loco: *Univerſum*, inquit, *genus Avium pauciſſimùm praeſtat alimentum, ſi conferas* (N.B.) *cùm genere greſſilium, & praecipuè cùm Suilla, qua*

Galenus lib. 3. de alim. facult.

non

non aliam reperias Carnem nutrire magis idoneam.
Adeòque ſententia praelaudati Authoris in nihilo ſuffragatur *Opuſculi* Patrono circa praeſentem controverſiam, cùm non ſit Aſſertio abſoluta de parvitate alimenti, quam de ſui natura praebet Avium comeſtio, ſed propoſitio reſpectiva; comparativè nempe ad Carnem Suillae; quòd non debet attendi, ſicuti illud non admitterent nec etiam ipſius Philoſophiae Tyrones; quia comparatio ut ſit bona debet fieri inter aequalia: Et ideo forſitan ipſe Author *Diſſertationis* hanc veritatem non ignorans, mancam voluit tranſcribere Galeni ſententiam, ut faciliùs ex eo noſtrum concluderetur Aſſumptum, quòd ipſe etiam per ſuas Phiſiologicas rationes, parùm, aùt nihil probat id, quòd probandum aſſumit.

CXVII. Quòd ſi etiam aliquid concluderent hujuſmodi ratiocinia, cùm agatur in praeſenti de regulis Morum, Dogmatibuſque Eccleſiaſticis, non eſſent attendenda, ſed inſuper perquirendae Authoritates Scripturarum, Definitiones Conciliorum, Decreta Pontificum, Sententiae Patrum, Conſuetudines Eccleſiarum, Opiniones Theologorum, quae ſunt Sacri Fontes undè haurienda veniunt argumenta pro ſimilibus quaeſtionibus confirmandis: Scribente non ſolùm ad Coloſſenſes Apoſtolo: *Videte, nè quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem Fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm Elementa Mundi.* Sed etiam de ſui praedicatione ad Corinthios dicente: *Sermo meus, & praedicatio mea non in perſuaſibilibus humanae Sapientiae verbis, ſed in oſtentione ſpiritus, & virtutis veſtrae, ut fides noſtra non ſit in ſapien-*

ad Coloſſ. 2. verſ. 8.

1. ad Corinth. 2. verſ. 4.

tia hominum, *ſed in virtute Dei*. Undè SS.Patres; Sciolos illos,(qui in hujuſmodi quaeſtionibus,propriae fidunt rationi) carnales vocant, non autem Prudentes: *In homine Carnali* (ſunt verba Auguſtini) *tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi. Quòd ſolent videre credunt, quòd non ſolent non credunt*. Et S. Hilarius: *Humana*, inquit, *mens hoc ſolum ſapit, quòd intelligit, & Mundus hoc tantùm quòd poteſt credit, ſecundum elementorum naturam id tantùm exiſtimans, quòd aùt videret, aùt ageret*. Quando Haereticorum nonnulli ex rationibus Philoſophicis decepti in varios habierunt errores, teſte eodem praelaudato Auguſtino: *In eis quae ſunt Fidei, & Sacrae Scripturae, non rationi, ſed authoritati credendum eſt, quia Haeretici non erraſſent, ſi Scripturis Sacris magis, quam ſuis rationibus accommodare Fidem mallent*. Undè cùm in praeſenti habeamus Eccleſiae authoritatem nobis in Quadragèſimâ eſum Avium interdicentem, non eſt cur rationibus Phiſiologicis (Eccleſiaſticas determinationes deſtruentibus)adhaerere velìmus; quandò etiam praecitatus Hipponenſis Epiſcopus nos docet: *Quòd ſi ratio contra Divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quaelibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine, nàm vera eſſe non poteſt*.

S.Augu. ſerm. 147. de temp. cap.1.

S. Hilar. lib.8. de Trinit.

S. Aug. Epiſt. 222. ad Conſent.

Idem Epiſt. 7. ad Marell.

CXVIII. Pro coronide tandem *Diſſertationis* addit Author (ſolvens quamdam oppoſitionem, quam ad libitum ſibi fingit circa permiſſionem Pi[illegible], & pr[illegible]ionem Avium in Antepaſchali[illegible]o,no[illegible] illa ſit vera diſparitas à Theol[illegible] digi[illegible]l apud aliquem regiſtrata) di[illegible] *His*[illegible]*ae hactenùs in liter*[illegible] *retuli, obji-*

Au[illegible] Diſs. fol.

ci

ci nequit, in tantùm ab Eccleſia priùs toleratum; deindè permiſſum Piſcium dumtaxat eſum in Antepaſchali jejunio, ſicùt & in caeteris jejunii ſtatutis diebus, in quantùm Piſcium ſubſtantia aquea eſt, undè ad corpus nutriendum parum, vèl nihil eſt apta, propterea que eorum comeſtio abſtinentiae virtuti adverſari non videbatur, non ſic autem carnes Avium, quae calidae ſunt, & ſiccae, eodemque modo corpus nutriunt, quò ille quadrupedum. At hae phalerae ſunt ad populum, non verò ratio ponderis alicujus, aùt momenti. Ubi in primis animadverte, ipſum aliquo modo ſugillare Eccleſiam de errore; quaſi quòd nullo argumento, nullaque cauſa adſtipulante interdixiſſet Fidelibus uſum Avium, relicto Piſcium delectu (de quibus apud ipſum eadem debet ratio militare; quia ejuſdem praeſupponit eſſe conditionis, & naturae Piſces, & Aves), & per quaſdam fallaces ratiunculas (quas ipſe *phaleras* vocat) Populum aucupata fuiſſet; cùm id, quòd tenet, & facit Eccleſia in Univerſum Orbem diſperſa tantummodò propugnent Theologi, aliique Caſuiſtae de jejunio tractantes (quos hic indiſcriminatim Author *Diſſertationis* exagitare non metuit). Quando ipſa Eccleſia, quae eſt prima regula veritatis, fundamentum fidei, & columna immobilis noſtrae credibilitatis, utpotè directa, & gubernata à Sancto Spiritu, nec falli, nec fallere poteſt, ex alibi adnotatis. Deindè, hic publicitati exponit ſententiam ſuam, quam uſque adeo variis occulerat ambagibus: Debere nempe eodem modo eſum Avium indulgeri Fidelibus tempore jejunii Quadragèſimalis, ac obſonia Piſcium fuerunt illis permiſſa; Supr. num. 66.

 cùm

cùm nulla juxtà ejus ſententiam videatur aſſignari inaequalitas ob quam Piſces, & non Aves debent dari Fidelibus pro eſca in Antepaſchali jejunio. Quòd ut probet, ratiocinium exorditur ex aquea natura Piſcium, penitùs infirma pro valido corpori nutrimine praeſtando.

CXIX. Sed non minùs ipſe decipitur in praeſenti, quam vult alios Author in captionem inducere, cùm nullibi hunc Difficultatis nodum deprehenderim, nulluſque ex Candidatis noſtris docuerit, ideo permiſti Piſces, quia naturae aqueae ſunt, praeſcribi Aves in diebus jejunii, eo quòd calidae, & majoris ſubſtantiae, quam ipſi Piſces: Sed potiùs, quia cùm jejunium praecipuè inſtitutum videatur ad corporis macerationem, libidinumque faces extinguendas, illa tempore abſtinentiae removenda ſunt fercula, quae magis ad luxuriam incitamenta praeſtare conſueſcunt, uti ſunt Carnes Avium, & Quadrupedium, non autem ipſi Piſces, frigidi, & molles. Alitèr enim ſi ſola attendenda eſſet in cibis ſubſtantia, cum Panis confirmet cor hominis, & unicum ſit illius ſubſtentaculum, hic in primis eſſet à Fidelium menſis tempore jejunii eliminandus; abigendaque paritèr eſſent legumina, aliaque groſſiora obſonia, quibus ut plurimum paſcuntur egeni, & agreſtium culinae redundare videntur.

CXX. Et revera, quòd jejunium principalitèr ſit inductum ad carnis libidinem compeſcendam, ultra à nobis ſuperiùs adnotata, docetur etiam à Hierònymo dicente: *Ardentes Diaboli ſagittae jejuniorum frigore aextinguendae ſunt.* Sed clariùs, & fuſiùs

Supr. num. 20.

S. Hier. Epiſt. ad Cavel.

ſiùs hoc pertractat Auguſtinus in libro de utilitate jejunii (de quo meminit Poſſidonius in judicio operum Magiſtri ſui): *Si jumento*, inquit, *fortè inſideres, ſi equo uteris, qui te geſtiendo poſſit praecipitare, nonnè ut ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fama domares, quem fraeno non poſſes? Caro mea jumentum eſt, iter ago in Jeruſalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere: Via autem mea Chriſtus eſt; ita exultantem non cohibebo jejunio? Si quis hoc ſapit, etiam ipſo experimento probet, quam utiliter jejunetur*. Et alibi: *Jejunium*, inquit, *carnem Spiritui ſubjicit, concupiſcentiae nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit*. Quapropter Concilium Toletanum I. in aſſertione Fidei, habuit decernere: *Si quis dixerit, vèl crediderit carnes Avium, ſeù pecudum, quae ad eſcam datae ſunt, non tantùm pro caſtigatione hominum abſtinendas, ſed execrandas eſſe, anathema ſit*. Agebatur enim ibi contra Priſcillianiſtas aſſerentes: Catholicos à carnibus Avium, & Pecudum abſtineri, illaſque execrari tanquam immundas, & à Daemone procreatas: Concilium igitur eorum retundens errorem, dicit, illas ob corporis caſtigationem eſſe prohibitas, non autem quia de natura ſua ſint malae, aùt vetitae.

S.Auguſt. lib. de utilit. jejunii.

Idem ſer. 230. de Temp.

Concil. Tolet. 1. can. 14. in Aſſert. Fidei.

CXXI. Quòd autem Aves, & quadrupedia interdicantur in die jejunii ex eo, quia ad libidinem provocent, in terminis illud oſtendit D. Thomas, aſſerendo: *Jejunium inſtitutum eſt ab Eccleſia ad reprimendas concupiſcentias carnis: Et ideo illos cibos Eccleſia jejunantibus interdixit, qui & in comedendo maximam habent delectationem, & iterum maximè hominem provocant ad venerea. Hujuſmodi autem*

S.Thom. 2. 2. q. 147. art. 8.

tem

tem ſunt carnes animalium in terra naſcentium, & reſpirantium, & quae ex eis procedunt, ſicut lacticinia ex greſſibilibus, & Ova ex Avibus. Qui enim hujuſmodi magis conformantur humano corpori, plùs delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, & ſic ex comeſtione plùs ſuperfluit, ut vertatur in materiam ſeminis, cujus multiplicatio eſt maximum incitamentum luxuriae: Et ideo ab his cibis jejunantibus Eccleſia ſtatuit eſſe abſtinendum. Deindè, aſſignans diſparitatem inter vinum, legumina, & Carnes, ſuperaddit: *Ad actum generationis tria concurrunt, ſcilicèt calor, Spiritus, & humor: Ad Calorem quidem maximè cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus: Ad ſpiritus autem videntur cooperari inflativa: Sed ad humorem maximè cooperatur uſus Carnium, ex quibus multum de alimento generatur. Alteratio autem caloris, & multiplicatio ſpirituum citò tranſit, ſed ſubſtantia humoris diù manet, & ideo magis interdicitur jejunantibus uſus Carnium, quam vini, vèl leguminum, quae ſunt inflativa.* Hoc itidem videtur inſinuaſſe Erudititiſſimus Bellarminus ſequentibus ſaepè laudatis verbis: *Ratio quarè Catholici exiſtimant Carnes pecorum, & Avium, caeteris diebus eſſe illicitas, non alia eſt, niſi quia placuit Eccleſiae illas prohibere. Cùr autem Eccleſiae id placuerit? varias cauſas Theologi reddunt, ſed illa eſt potiſſima, quoniam jejunium indicitur ad Carnis concupiſcientiam cohibendam, quae circa delectationes gulae, luxuriaeque verſatur. Carnes autem terreſtrium, & Volatilium animantium, magis nutriunt, & delectant ex genere ſuo, quam caeteri cibi, cùm ſint humanae carni ſimiles. Inde enim, & libentiùs appetuntur, & materiam generationis*

Idem ibid. ad prim.

Bellarm. tom. 3 lib. 2. de bon. Operib. cap. 4.

tionis magis augent, undè ſtimuli carnis acrioris oriri ſolent.

CXXII. Hoc autem de Piſcibus dici nequit, nam cùm ipſi neque ſint calidi, neque multum praeſtent ſubſtantiae, nullatenùs poſſùnt ad libidinem inſtigare. Undè inter cibos frugales eos collocavit Clemens Alexandrinus, ut ſupra, & tanquam paupercula eſca fuit nobis à Domino relicta: *Veram frugalitatem*, inquit, *ac tenuitatem tanquam ſcopum proponentes, quam mihi Dominus videtur quoque ſignificaſſe cùm panes benedixit, & aſſos Piſces, cùm quibus ſuos Diſcipulos convivio excepit, cibi non nimis exquiſiti pulchrum exemplum inducens, &c.*, & ex Recenſioribus Scriptoribus, ſivè ex propria, ſivè ex aliorum collectis opinionibus juremeritò dicebat de ipſis Piſcibus Author Theatri Vitae humanae: *Sunt Piſces ex origine ſua imperfectiora animalia terreſtribus, & Volatilibus: Sunt namque temperamenti imperfectioris. Cujus rei indicium eſt modicum alimentum, quòd praeſtant: Quò ſit, ut tempore jejunii, & Quadrageſimae permittatur eorum uſus; cùm enim minùs nutriant, minùs validum praeſtant alimentum: Adeòque cùm jejunantes multum cibum accipere ſoleant, minùs nocet copia Piſcium, quam Carnium. Et quoniam jejunium corporale alterius jejunii, quòd ſit à vitiis, & concupiſcentiis nos monet, atque haec minùs in nobis dominentur, ſi Carnis ſtimuli comprimantur, ſit ut Piſcium eſus tunc ab Eccleſia permittatur, quòd illi humidiores natura, neque ita validi ſucci, magis eam refrenent, dùm ſemini rariorem ſanguinem alimentalem ſubminiſtrant, juxtà illud, quòd Galenus dicit lib. de aliment. facult. cap. 27.: Piſces generare ſanguinem*

Clem. Alex. relat. ſupr. numer. 22.

Auth. Theatr. Vit. Hum. verbo *Piſces*.

guinem medium , qui neque admodum tenuis , neque aquoſus , neque vehementèr craſſus eſt . Quòd poteſt confirmari ex Petro Caſtellano Medicinae Lovanienſis Profeſſore, qui ſermonem de Piſcibus inſtituens, aſſerit: *Subſtantia Piſcium aquea eſt, & labilis, atque obnoxia putredini. Quocirca propter defectum caloris Spiritus generat frigidos, impuros, & aqueos, à quibus obtuſius ingenium, &c.*

Petr. Caſtell. lib. 1. cap. 2.

CXXIII. Et quamvis in ſententia Balthaſſaris Piſanelli aliqui Piſces ad libidinem provocent, cùm addat infrà Author *Diſſertationis*: *Quibus poſtremo addendum, complura Piſcium genera ne dum exquiſitiſſimi eſſe nutrimenti, ut notat Balthaſſar Piſanelli in ſuo tractatu vernaculo ſermone edito de natura ciborum, verùm etiam ad libidinem efficacitèr provocare, quos inter recenſendi potiſſimum ſunt illi, quibus noſtra aetate Ditiores, Nobilioreſve Viri communi jam inolito more veſcuntur; Piſcis nimirùm varius, ſeù Trutta, Sturgio, Mullus, ſivè Trigla, Thynnus, Sciena, Chryſophoris, Muſtella, ſivè Galexia, aliique, ut obſervari poteſt apud laudatum Piſanelli, alioſque Scriptores, qui de natura Piſcium tractant, eoſque variis quoque decoctionum cruciant martiriis, balneantes officio piperis, aliorumque aromatum, ut multiformem ſaporis gratiam conſequantur:* Quamvis, inquam, multi ex Piſcibus, carnis ſtimulos accreſcant in ſententia Piſanelli (cujus opera uſque modò deſideravimus pro hac veritate comprobanda; non obſtante, quòd tanquam unicus eſſet, & ipſe reiciendus, juxtà Conſtantini Imperatoris edictum: *Ut unius teſtimonium nemo judicum in quacumque cauſa patiatur admicti: Et tunc manifeſtè ſancimus, ut unius omninò teſtis reſponſio*

Author Diſs. fol. 34.

l. juſiur. 9. C. de teſtib.

ſponſio non audiatur, etiam ſi praeclarae Curiae honore praefulgeat); nihilominùs non per hoc aequa lance debent Piſces, & Aves perpendi, parique paſſu deambulare, utpotè quia ſtandum erit ad id, quòd ut plurimùm accidere ſolet, non autem ad id, quòd raro evenit, juxtà reſponſionem, quam huic difficultati aptavit Divus Thomas, aſſerendo: *Ad ſecundùm dicendum, quòd Eccleſia jejunium inſtituens intendit ad id, quòd communiùs accidit; uſus autem Carnium eſt magis delectabilis communitèr, quam uſus Piſcium, quamvis in quibuſdam alitèr ſe habeat. Et ideo Eccleſia magis jejunantibus prohibuit eſum Carnium, quam eſum Piſcium.* Ad quòd etiam alludens Bellarminus habuit & ipſe dicere: *Ad aliam objectionem reſpondemus; per accidens fieri, ut magis pugnet cùm fine jejunii immoderatus uſus Piſcium* (& pleniùs reſpondetur ad id, quòd mox notavit Author de Martyrio Piſcium per piparem, eorumque ſplendida apud Magnates comeſtione), *atque aliorum ciborum lautè conditorum quam moderatus uſus carnium ſimplicitèr, vèl negligentèr conditorum: Quia videlicet cùm Piſcibus conjungitur immoderatio, cùm carnibus moderatio. Prætereà, ex Piſcibus ſumuntur recentes, & optimi, ex carnibus aridae, & deterrimae. Denique Piſcibus adduntur varia condimenta, carnes ſimplicitèr. At ſi juſta fiat collatio, & Carnes cùm Piſcibus, aridae cùm aridis, recentes cùm recentibus comparentur, & moderatè ſumatur utraque, dubium eſſe non poterit, quia multo magis ad finem conducat jejunii Carnium, quam Piſcium abſtinentia. Lex autem Eccleſiaſtica non potuit ferri de moderamine, quantitate, lautitiis, & ſimilibus, quae infinitis variantur modis, & quòd uni eſt multum, alteri eſt parum, quòd*

S Thom. 2.2. q. 147. art. 8. ad 2.

Bellarm. to. 3. Contr. de bon. oper. lib 2. capit. 4.

uni eſt lautum, alteri non eſt lautum. Debuit igitur conſtitui regula, penès abſtinentiam ab aliquo genere cibi, qui ex genere ſuo, & ut plurimum magis nutrit, & magis delectat, qualem eſſe carnem Pecorum, & Aves omnes concedunt. Luculentiùſque illud expreſſit Raynerius aſſerendo: *Piſces obſervantiam jejunii non impediunt per ſe, nec jejunium ſolvunt, quia quamvis aliqui Piſces aeque delectabilitèr edantur à quibuſdam, ac ipſae Carnes, imò major ſit aliquando delectatio in Piſcium, quam in carnium eſu; naturalitèr tamen ſunt Carnibus frigidiores, & corpori minus convenientes, quam ſint Carnes, nec alimentum tàm ſucculentum praeſtant. Et ideo ratio per quam Carnes dictum eſt prohiberi non eſt eadem in Piſcibus, ut eorum etiam eſus prohibeatur. Vèl ideo non prohibentur Piſces in jejunio ſicuti Carnes, quia tametſi Piſces reſpectu aliquorum aequae, vèl magis delectabiles ex accidenti eſſe poſſunt, communitèr nihilominùs in Carnibus major delectatio invenitur. Eccleſia autem attendit ad id, quòd communiùs accidere, & frequentiùs conſuevit.*

Rayner. to. 2. Pantheol. verſ. *jejunium* c. 19.

CXXIV. Quibus ita expeditis, videat modò *Diſſertationis* Author, ſi iſta debeant dici *phalera ad Populum*, an ratiocinia ſolidae veritatis! Si *non ratio ponderis alicujus, aùt momenti*, (ut ipſe ait) aùt potiùs regulae inconcuſſae Doctrinae, & Theologicae aſſertionis! Ut quid enim tumidis, & ſpernantibus illis verbis: *Et haec phalerae ſunt ad Populum, non verò ratio ponderis alicujus, aùt momenti*, velit exprobare Caſtra Iſraël, tot, tantoſque Theologìae Magiſtros, & Eccleſiae Doctores, in deriſum Populi trahere, illoſque poſt tot ſecula de ignorantia taxare! Meritò igitur de audacia ipſius cum S. Job dici poteſt: *Vos eſtis ſoli homines, & vo-*

Job 12. verſ. 2.

& vobiſcum morietur ſapientia? *Et mihi eſt cor, ſicut & vobis, nec inferior veſtri ſum, quis enim haec, quae noſtis ignorat?* Quae ſi cùm Pagnino ex Hebraeo vertantur, hunc contra ipſum faciunt ſenſum: *Verè video, quòd eſtis Populares, & vobiſcum mortua eſt Sapientia.* Niſi adaptetur id, quòd Auguſtinus ad Marcellum ſcribebat: *Nimis perversè ſe ipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat; quòd ſi voluerit, ſaltem comites erroris non habeat.* Quando debebat illi ad ſufficientiam eſſe Majorum aſſertio, juxtà monitum Hierònymi ad Ruſticum: *Credas*, inquit, *tibi ſalutare quicquid ille praeceperit; nec de Majorum ſententia judices, cujus officii eſt obedire, & implere quae juſſa ſunt, dicente Moyſe, audi Iſraël, & tace.* Alitèr enim, ſi Majorum reverentia contemneretur, poſſet contra ipſum Tertullianus inſurgere, dicendo: *Ubi Veneratio Majoribus debita à vobis? Laudatis ſemper Antiquos, ſed novè ſemper in dies vivitis. Per quòd oſtenditur dùm vos à Majorum inſtitutis deceditis, ea vos retinere, & cuſtodire, quae non debuiſtis, cùm quae debuiſtis non cuſtoditis.* Immò in caſu quo reverà ipſe agnoviſſet alios erraſſe in hujuſmodi Doctrina, nec etiam audactèr, ſed reverentèr, & modeſtè debebat hunc errorem corrigere, ſicuti fecit Auguſtinus, qui loquens de Cypriani ſententia circa Baptiſmum Haereticorum dixit: *Quapropter debitam reverentiam, dignumque honorem quantùm valeo perſolvens pacifico Epiſcopo, & Glorioſo Martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum alitèr ſenſiſſe de Schiſmaticis, vèl Haereticis baptizandis, quam poſtea veritas prodiit.* Ubi, & refellit Cypriani errorem, & reverentèr de ejus perſona, & authoritate ſermonem fundit.

Verſ. Pagnini.

S. Augu. Epiſt. 147. ad Marcell.

S. Hieron. Ep. 4. ad Ruſt.

Tertull. in Apol. cap. 6.

S. Auguſt. lib. 6. de Bapt. contr. Donat. cap. 2.

CXXV. At ſi etiam velìmus dicere: *Phaleras ad Populum eſſe, non verò rationes ponderis alicujus, vèl momenti*, has diſparitates, quas noſtris imputat Theologis inter prohibitionem Avium, & permiſſionem Piſcium in Antepaſchali jejunio; expendamus tantiſper in ſtatera veritatis ea, quae ipſe Author addit, ut poſsìmus agnoſcere, an ſint majoris ponderis illius argumenta, vèl potiùs ex parturitione Montium naſcatur ridiculus Mus. Cùm ipſe mihi videatur ſimillimus illi, de quo contra Donatiſtas dicebat Auguſtinus: *In luto ejus adhaeſerunt pedes, & ut eos evelleret conans fruſtra, & manus, & pedes, & caput figat, & in eodem luto haeſitans altiùs involvitur*. Nàm quò magis praetendit ſuam fallacem comprobare aſſertionem(de licita permiſſione Avium in Antepaſchali jejunio), eo magis illam inconvenientibus, & abſurdis involvit verſutiis; ſicuti facit in praeſenti, ubi ad oſtendendum Piſces eſſe maximi nutrimenti, non ſolùm recurrit ad antiquos Gentiles, ſuperſtitioſoſque Romanos pro eorum uſu in comeſtione Piſcium obſervando (itaùt ad propoſitum cadat reprehenſio Heliae ad ſer vos Ochotiae, conſulentes Deum Accaron pro ſalute ſui Regis: *Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron*? Quando de ſe ipſo Hierònymus dicebat: *Pluſquam quindecim anni ſunt, ex quo manus meas nuſquam Gentilium literarum quilibet Author aſcendit: Et ſi fortè inde dùm loquimur obrepit, quaſi Antiqui per nebulam ſomnii recordamus*;) ſed etiam coacervat ſententias eorum, qui volunt Piſces in magno pretio apud Antiquos fuiſſe, tùm quò ad emptionem, tùm quò ad comeſtionem: Quando ſi pretium poſſet

S.Auguſt. lib. contr. Donat. poſt coll.c.15.

4.Reg.1. ver.3.

S.Hieron. in Praefat.adGalat.

dare

dare eſſentiam nutrimentalem cibis, ſtercora illa Columbarum, & Caput illud Aſini, de quibus legitur in quarto libro Regum: *Samaria tandiù obſeſſa eſt, donec venundaretur caput Aſini octuaginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris Columbarum quinque argenteis*, debuiſſent ſinè dubio maximum praeſtare alimentum: Et Aves, ac Haedi, qui pro nihilò habebantur in conviviis Romanorum, itaùt de frugalitate cujuſdam Civis Sardonico riſu habuit dicere Horatius Flaccus: Ibid. cap. 6. verſ. 25.

........bene erat non Piſcibus Urbe petitis: Horat. Flacc.
Sed Pullo, atque Haedo: tùm penſilis uva ſecundas, lib. 2. Satyr. circa finem,
Et nux ornabat Menſas cùm duplici ficu.

Aves, inquam, ac Haedi, quia non magni pretii apud antiquos erant, nullius deberent dici ſubſtantiae, ac nutrimenti.

CXXVI. Sed attendamus quid ipſe dicat: *Si Piſces*, inquit, *ad benè corpus nutriendum apti non eſſent, illos ſanè à lautis menſis abjectos fuiſſe legeremus; at oppoſitum apud Scriptores invenimus*. Ubi notari poteſt in primis contradictionem Authoris. Supra enim ex Hippocrate dixerat: *Piſces leve alimentum ſunt tùm cocti, tùm aſſati, & ipſi per ſe, & cùm aliis cibis*, nunc autem aſſerit, ad benè nutriendum corpus aptos eſſe. Quandò etiam Martinus Lutherus, mendaciorum Magiſter, ex contradictione Scribentium arguit falſitatem Doctrinae: *Mendacia*, inquit, *certiùs dignoſcere non poteſt, niſi quando ſibi metipſis contraria ſunt; à Deo enim ordinatum eſt, ut impii ſemper ſe ipſos confundant, & quòd mendacia non conſonent, ſed ſemper contra ſemetipſa teſtentur*. Deindè, totum pondus ſui diſcurſus fundatur in eo, quòd Piſces non fuerunt à lautis menſis abjecti, & à Magnatorum conviviis

Author Differ; fol. 31.

Supra nu. 114.

Luth. in lib. de Vot. Monaſt.

viviis eliminati; quaſi quòd per neceſſe habeatur, ut ea, quae in Principum tabulis praeparantur, debeant eſſe ad nutrimentum aptiſſima. Quòd ſi eſſet verùm, Tauri, Sues, Arietes, legumina, aliique groſſiores cibi, qui menſis Pauperum apponuntur, nullius eſſent ſubſtantiae, nulliuſque nutrimenti. Praetereà, quia hiſce noſtris temporibus Vitulinae potiùs in Apicium conviviis, Sylveſtres, ac Avium carnes habentur in uſu, quam ipſi Piſces, valet etiam ex contrario arguere, has ſolidioris eſſe nutrimenti, non autem Piſces: Sicque tanquam equivoca, & inſubſiſtentia excluditur contraria illatio Praelaudati nuperi Authoris.

CXXVII. Sunt igitur, vèl fuerunt Piſces in magna praeſtantia, apud nonnullos, quia de facili concoquntur in ſtomacho, parumque praeſtant alimentum. Undè Galenus ajebat: *Piſcium alimentum hominibus otioſis, ſenibus, imbecillis, & aegrotis eſt commodiſſimum; qui verò corpus exercent cibos poſtulant firmiores*. Cui concordat Simeon Sethi, dùm ait: *Conveniunt Piſces otioſis hominibus, & non robuſtis, & à morbo convaleſcentibus*. Vèl ſaltem, quia magno emuntur pretio, & delicatiores ſunt guſtui, non autem, quia ad benè nutriendum corpus apti videantur (ut praetendit ſinè fundamento noſter Author). Neque aliud concludunt illae authoritates, quas ipſe ex vetuſtis, & prophanis hic aglomerat Authoribus, (quaeque etiam regiſtrantur apud Voſſium), ut eas legenti patebit. Nàm ad luxum illos refert Samuel Bocartus, dùm ait: *Luxus olim praecipua pars fuit in delectu Piſcium... Adeòut Cato quaeſtus ſit, etiam vulgo Romae Piſcem plùs vaenire, quam bovem; Et juvenalis ſatyra 4. potuit*

Galen. lib. 3. de alim. facul. cap. 29.

Simeon. Sethi lib. de alim. facult.

Samuel Bocar. in Hierozoicon lib. 1. c. 6

tuit fortaſſe minoris Piſcator, quam Piſcis emi. Quòd ipſum levè videbitur prae eorum prodigo luxu, à quibus impenſa leguntur integra latifundia in unius Mulli pretium. Ad ſuavitatem id refert Aelianus, dicendo: *In Rhodo, qui Piſces in deliciis habet, horum ſuavitatem admiratur, & omnibus reliquis obſoniis anteponit, eum populares quaſi liberalem commendant, quibus verò carnium eſus magis adridet, hos agreſtes, & ventres calumniae cauſſa vocant*. Aelian.var.hiſtor.1.28. Et aſſentitur Columella (Authores omnes hic in *Diſſertatione* relatis) dùm ait: *Tàm celebres erant deliciae popinales, cùm ab mari deferrentur vivaria, quorum ſtudioſiſſimi, veluti antea devictarum gentium Numantinus, & Iſauricus; ita Sergius Orata, & Licinius Muraena, captorum Piſcium laetabantur vocabulis*. Columel.8.16. Cui poſſit addi, quòd ſi maximi forent nutrimenti Piſces, ex eo quia Romanorum nonnulli à Piſcibus cognomina deſumpſere, etiam Fabae à quibus Fabii, Lentae à quibus Lentulus, Ceci à quibus Cicero, Piſelli à quibus Piſones cognomina acceperunt, debuiſſent in magno pretio haberi, & pro ſingulari alimonia deputari: Cùm ex hoc Columellae authoritate audeat colligere Author *Diſſertationis*: *Romani quoque ad inſaniam Piſcium ſtudio flagrarunt, non enim lautitiarum tantùm fundum in illis reponebant, ſed Familiarum inde cognomina ab illis deſumpſere, &c.* AuthorDiſſer. fol.32.

CXXVIII. Ecce rationes, & fundamenta, quibus ipſe Author fretus, concludit ſuam *Diſſertationem*, dicendo: *Nullius ergo roboris eſt, quòd dicitur Piſcium eſum ideo in Antepaſchali jejunio, caeteriſque ab Eccleſia ſtatutis jejunii diebus permiſſum, quia eorum ſubſtantia aquea eſt, propătereaque ad corpus benè alendum ſunt inepti*. Ex quibus non immeri- AuthorDiſſer. fol.34.

tò crederem colligi poſſe, in illis ſaltem locis, in quibus Piſcium penuria eſt, potiùs Avium jejunii diebus comeſtionem permicti incongruum non eſſe, quam extorum quadrupedum, quibus in Hiſpania, aliiſque Catholicis Regionibus praefatis diebus veſci indultum legimus. Sed fallitur non minus in prima parte (in quà ſupponit ſe ad ſufficientiam probaſſe, Piſces eſſe ſolidioris nutrimenti, non autem naturae aquae,) quam in ſecunda (ubi aſſerit: *Poſſe Aves permicti loco Piſcium, in illis ſaltem regionibus, ubi ex Eccleſiae indultu permictuntur quadrupedum extrema*.) Decipitur inquam in prima parte, non ſolùm quia finis ob quem Piſces permictuntur in Quadragèſima non eſt, quia ſunt naturae aqueae, & ad nutriendum inepti, quando nos oſtendimus

Supr. nu. 120. ſupra, hoc provenire, quia Avium eſus impellit ad libidinem, non autem Piſcium obſonium, utpotè frigidae ſubſtantiae; ſed etiam quia dato quòd hoc eſſet verum, nempè Piſces permicti, quia parum praebent alimentum, nec etiam ipſe nihil aliud in contrarium probavit per ſuas adductas authoritates, niſi quia Piſces ob luxum cariùs vendebantur, & ob delicatas qualitates antiquitùs aliquali ſpecialitate comedebantur: Quòd parum probat in praeſenti, neque facit ad propoſitum, ubi nos ratiocinamur de ſubſtantia, non de qualitate ciborum. Quapropter ſemper eſt verum, quòd *Diſſertatio Hiſtorico-Phiſiologico-Moralis, de Piſcium, atque Avium eſus conſuetudine apud quoſdam Chriſti-fideles in Antepaſchali jejunio*, aùt nihil, aùt parum probet id, quòd probandum aſſumit, uti propoſuimus in noſtro Themate, quòdve uſque adhuc palmaribus demonſtravimus argumentis.

CXXIX.Fal-

CXXIX. Fallitur etiam quò ad ſecundam partem, ubi vult poſſe permicti Avium eſum, in illis ſaltem Regionibus, ubi non eſt copia Piſcium loco Quadrupedum: Nam, vèl hoc ipſe intendit, quia Aves ſunt ejuſdem naturae cùm Piſcibus; & in hoc allucinatur; quia neque ipſe hoc probavit, neque probare poterit, ex eo quia ciborum delectus in Antepaſchali jejunio pendet ab Eccleſiae authoritate, non autem ex ſui propriâ naturâ, ut abundè patefecimus ſupra. Vèl quia ſupponit in Hiſpaniis, aliiſque Catholicis Regionibus, quadrupedum carnes comedi abſolutè, & ſimplicitèr ob deficientiam Piſcium: Et tunc non ſolùm in hoc à tramite veritatis aberrat, quia ibidem virtute Bullae Cruciatae permictuntur his, qui vèl ſe obligant Bella contra Turchas, & Infideles movère, vèl certam ſolvunt eleemoſinam pro faciliori expeditione ejuſdem Cruciatae, uti videre eſt apud Authores de Bulla Cruciatae pertractantes. Et Carnes, nec etiam abſolutè, qui hujuſmodi privilegio perfruuntur poſſunt comedere, ſed ex permiſſione proprii Medici, & Confeſſarii; dicente Franciſco Bardo. *Indulget Pontifex per Bullam, ut eam habentes conſilio utriuſque Medici, poſſint comedere Carnes temporibus jejuniorum totius anni, etiam Quadragèſimalibus*. Quòd nihil videtur indulgere ſupra Jus commune, niſi quamdam facultatem recurrendi tantummodò ad Medicum, & Confeſſarium; quòd ſinè Bullâ non ſufficeret, ſed oportuiſſet habere acceſſum ad Parochum, vèl Epiſcopum pro diſpenſatione, ut idem Bardus notat ibi, addendo: *Efficaciam hujus privilegii ſitam eſſe in hoc, ut in dubio non requiratur diſpenſatio facienda ab Epiſcopo, aùt Parocho, ſed ſufficiat conſilium Medici, & Confeſſarii, quòd tamen ſinè Bulla*

Franc. Bard in Explicat. Bullae Cruciat. p. 1. tract. 3. nu. 1.

Idem ibid. loc. cit. num. 12.

 non

non eſſet ſatis, ſed eſſet recurrendum ad Praelatum Superiorem, qui diſpenſaret. Non ſolùm inquam fallitur in hoc, ſed etiam in eo, quòd in caſu deberent comedi Carnes ob deficientiam Piſcium, potiùs comedendae forent Aves, quam quadrupedia: Nàm caeteris paribus, & ſi ex duobus malis minùs eſt eligendum, potiùs debent permicti quadrupedia, quam Aves; quia ubi cùm Carnes Avium, tùm quadrupedum ad libidinem provocant, ſicuti ex Divo Thoma, & Bellarmino probavimus ſupra, Aves nihilominùs ultra hoc delicatiores etiam ſunt guſtui; undè dicebat Julianus Pomerius: *Si à quadrupedibus abſtinentes Phaſianis alitibus, vèl aliis Avibus pretioſis perfruantur, non mihi videntur reſecare delectationes ſui corporis, ſed mutare; nec pro abſtinentia, ſed velùt neſcio qua immunditia, vèl certè (quòd veriùs eſt) pro ſtomachi nauſeantis teneritudine delicatas illas communes, ac viles Carnes abjicere, quo poſſint aliis non ſolùm Carnibus, ſed etiam delicatioribus, ac pretioſioribus Carnibus voluptates explere*. Et Divus Hierònymus: *Procul*, inquit, *ſint à conviviis tuis Phaſides Aves, quibus ampliſſima patrimonia avolant. Nec ideo te carne veſci non putes, ſi Suum agreſtium, Leporum, atque Cervorum, & Quadrupedum animantium eſculentiùs reprobes; non haec pedum numero, ſed ſuavitate, & guſtu comprobantur*.

Supr. nu. 120.

Julian. Pomer. lib. 2. de vit. Contempl. capit. 23.

S. Hier. Ep 9. ad Salvian.

CXXX. Quapropter, ut à caeteris abſtineam, cùm haec ejus opinio videatur potiùs gulae indulgere, quam abſtinentiae Quadragèſimali conſulere, juxtà praelaudatum Pauli dictum: *Hujuſmodi Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ventri*, oportet ab illa, Corda Fidelium omninò eſſe aliena, juxtà monitum S. Caroli Borromaei: *Longe abſint à nobis voces illorum, qui conſuunt pulvillos ſùb omni cubito ma-*

2. ad Timoth. 4. verſ 6.

S. Carol. Borom Orat. habit. in Concil. Provinc. 6.

manus, & faciunt cervicalia sùb capite univerſae aetatis ad capiendas animas. Ne iſti ſuis adulantium vocibus, vocumque blanditiis, cùm nos fallere ſtudent, tùm iſtis etiam illecebris populos noſtros decipiunt; dicunt enim bonum malum, & malum bonum. Et Beatus Joannes à Cruce: *Si quis*, inquit, *tibi perſuadere conetur doctrinam laxam, tamenſi miraculis eam confirmet, ei credendum non eſt.* Et quia antiqui Eccleſiae Patres hanc non docuerunt ſententiam, nos etiam in latebris oblivionis eam relinquamus, ne nos videamur illis doctiores apparere: *Ubi eſt*, inquit Gelaſius Papa, *quòd ſcriptum eſt: Terminos Patrum tuorum non tranſgredieris, & interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi Seniores tuos, & dicent tibi. Quid ergò tendimus ultra definita Majorum, aùt cur vobis non ſufficit, ſi quid ingnorantes dicere cupiamus, qualitèr ab Ortodoxis Patribus ſingula, quaeque vèl vitanda, vèl praecepta ſunt, vèl aptata Catholicae veritati, cur non his probantur eſſe decreta? Numquid aùt Sapientes illis ſumus, aùt poterimus firma ſtabilitate conſtare, ſi ea, quae ab illis conſtituta ſunt ſubruamus?* Aſſerens etiam Mellifluus Bernardus: *Nunquid*, inquit, *Patribus doctiores, aùt devotiores ſumus? periculosè praeſumimus, quicquid ipſorum in talibus prudentia praeterivit, nec verò id tale eſt, quòd niſi praetereundum fuerit, Patrum quiverit omninò diligentiam praeteriiſſe.* Alitèr enim poſſet nobis accidere, quòd de Authoribus novarum doctrinarum aſſerit Divus Antoninus: *Vadunt ad inferos per vitium praeſumptionis novitatum Rectores, adinveniendo novas vias, ultra conſuetas, ad regendum populum, ſivè ut extorqueant à ſubditis ſubſtantias, quòd pertinet ad cupiditatem, ſivè ut laudentur ab hominibus de modo regiminis, tanquam Sapientiores antiquis, recedendo ſinè cauſa à ſemitis eorum*

Beat. Joann. à Cruce in ſent. ſermon. 72.

Gelaſ. Pap. Ep. 5. ad Honar. Dalmat. Epiſc.

S. Bernard. Epiſt. 174.

S. Anton. p. 2. tit. 4 cap. 5. ante §.

rum contra illud Proverb.22.:Non tranſgredieris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. Vadunt Doctores in adinventionibus ſuis, qui non ſequuntur dicta Sanctorum, ſed opiniones novas, ſubtiles, & curioſas, non utiles ad pruriendum aures. Undè debemus omninò dictis Jeremiae auditum praebere, dùm ait: *Haec dicit Dominus, ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quae ſit via bona, & ambulate in ea.* Quia, ut inquit Vincentius Lyrinenſis: *Annunciare aliquid Chriſtianis Catholicis praeter id, quòd acceperunt, numquam licuit, nuſquam licet, numquam licebit.*

Jerem. cap. 6. verſ.16.

Lyrin in Com. monit. cap.2.

CXXXI. Hinc forſitan evenit, ut ipſe Author praeſuppoſiti *Opuſculi,* agnoſcens praefatam ſuam *Diſſertationem* (tot mendis, atque abſurdis redolentem) non mereri ut Typis demandaretur, minùſque per illam probari id, quòd probandum aſſumebatur, voluit occultè, nulla obtenta à Superioribus licentia, neglectaque Adprobantium cenſura illam cudere; timens ſinè dubio ſuum non poſſe effectum ſortiri, ſi Cenſorum oculos attigiſſet: Quando Concilia, Patres, & Scriptura nos edocent, hoc ſinè excommunicationis formidine, erroriſque periculo fieri non poſſe: *Sacro approbante Concilio ſtatuimus, & ordinamus*, dixerunt Patres sùb Leone X. in Laterano Congregati: *Quòd de caetero nullus librum aliquem, ſivè aliam quamcunque Scripturam, tùm in Vrbe, quam in aliis Civitatibus, & Dioeceſibus imprimere, ſeù imprimi facere praeſumat, niſi priùs in Vrbe per Vicarium noſtrum, & Sacri Palatii Magiſtrum, in aliis verò Dioeceſibus per Epiſcopum, vèl alium ab Epiſcopo ad id deputandum, & Inquiſitorem Haereticae pravitatis illius Dioeceſis, in quibus librorum impreſſio ejuſmodi fieret, diligentèr examinetur, & per horum manus ſubſcriptionem gratis,*

Concil. Later. v. ſeſſ. 10.

tis, & ſine dilatione imponendam approbetur. Qui autem ſecùs praeſumpſerit, ultra Librorum amiſſionem, & illorum publicam combuſtionem, excommunicationis ſententia innodatus exiſtat. Et Concilium Tridentinum, loquens de hujuſmodi librorum impreſſionibus, ait: *Impreſſoribus modum imponens, ſtatuit, ut nulli liceat imprimere, vèl imprimi facere quoſcunque libros de rebus Sacris, ſinè nomine Authoris, nec vendere, nec apud ſe retinere, niſi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, sùb poena anathematis, & poenae ſtatutae in Lateranenſi noviſſimo Concilio. Et ſi fuerint Regulares ultra examinationem, & approbationem hujuſmodi, impetrent à ſuis Superioribus licentiam recognitis per eos libris, juxtà formam iſtarum ordinationum, & qui libros non examinatos, & probatos vulgant, vèl communicant eiſdem poenis ſubjaceant, quibus impreſſores: Et qui eos habuerint, vèl legerint, niſi Authorem prodiderint pro Authòribus habeantur. Ipſa verò librorum hujuſmodi probatio in ſcriptis detur, atque adeò in fronte Libri, vèl Scripti, vèl impreſſi authenticè appareat. Idque totum, hoc eſt, & probatio, & examen gratis fiat, ut probanda probentur, & improbanda improbentur.* Quapropter Paulus Doctor Gentium, Vas Electionis, & Praedicator veritatis, ubi Evangelium divulgare coepit, quamvis de illo Galatis praemiſiſſet: *Notum vobis facio, Fratres, Evangelium, quòd Evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem; neque enim ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.* Nihilominùs ſuo privato Spiritui noluit credere, ſed Cenſurae, & Examini Eccleſiae, quae per Apoſtolum Petrum repraeſentabatur, illud priùs expoſuit, cùm addat ibi: *Aſcendi autem ſecundum revelationem, & contuli cùm illis Evangelium, quòd praedico in Gentibus, ne fortè*

Concil. Trid. ſeſs.4. in decr. de lib.impreſ.

ad Gal.1. verſic.11.

Ibid. cap.2. verſ.1.

in vacuum currerem, aut curriſſem. Undè Auguſtinus: *Si non inveniſſet*, inquit, *in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cùm quibus conferendo Evangelium ejuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi non crederet. Sed cùm cognoviſſent illum hoc annunciantem, quòd illi annunciaverunt, & in eorum communitate, & unione viventem, meruit authoritatem.* Et Hierònymus: *Expoſuit*, inquit, *Paulus Apoſtolus Evangelium, oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem Evangelii praedicandi, niſi Petri, & qui cùm illo erant ſententia fuiſſet roboratum*. Aſſerens etiam Tertullianus: *Ad Patrocinium Petri, caeterorumque Apoſtolorum aſcendiſſe Jeroſolimam, Paulus ſcribit, ut conferret cùm illis de Evangelii ſui regula, ne in vacuum tot annis cucurriſſet, & citra formam eorum Evangelizaret; adeo ab illis probari, & conſtabiliri deſiderabat.* Referens etiam de Evangelio Marci laudatus Hierònymus, illud non fuiſſe publicitati demandatum, niſi praemiſſa Petri approbatione: *Marcus*, inquit, *Diſcipulus, & Interpres Petri, juxtà quòd Petrum audierat referentem, rogatus Romae à Fratribus breve ſcripſit Evangelium, quòd cum Petrus legiſſet, & approbavit, & Eccleſiis legendum ſua authoritate tradidit*. Igitur, ſi Marcus accepit à Petro licentiam publicandi Evangelium ſuum, idemque facit, & Paulus; nè Author *Diſſertationis* major eſſe videatur Patre noſtro Abrahäm, & majori gauderet praerogativa, quam Doctor Gentium, Principiſque Apoſtolorum Diſcipulus (quando idem Paulus informans Philippenſes, dicebat: *Idem ſapiamus, in eadem permaneamuſque regula; imitatores mei eſtote, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicuti habetis formam noſtram*,) debebat ipſe ſinè dubio *Diſſertationem* ſuam publicè Eccleſiae Correctioni, & Cenſurae exponere antequam illam Typis tradidiſ-

S. Auguſt. lib. 28. cont. Fauſt. cap. 4.

S Hieron. Ep. 11 ad Auguſt.

Tertull. 5. contr. Marcionem

S Hieron. de Vir. Illuſt. c. 8.

ad Philipp 3. verſ. 16.

didiſſet, juxtà quòd ad Leonem Papam ſcribebat Theodoretus, dicens: *Si Paulus Praedicator Veritatis, Spiritus Sancti buccina, ad Petrum accurrit, ut qui Antiochiae de vivendo ſecundùm Legem Moyſi diſceptabant, quaeſtionem expeditam, & ſolutam ad eos ferret; multomagis nos, qui puxilli ſumus ad Solium Apoſtolicum occurrèmus, ut à vobis medicinam vulneribus noſtris feramus, &c.* Quòd cùm non feciſſet, ſed homo Clericali militiae adſcriptus, leges Eccleſiaſticas, Conciliorum Decreta, Apoſtolorumque exempla peſſundari exiſtimavit, ſinè licentia *Diſſertationem* cudendo, apparet proculdubio, quòd praefata *Diſſertatio* non merebatur Typis demandari, Praelo commiſſa nec probat id, quòd probandum aſſumit; quia juxtà Salvatoris dictum: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.*

Theodor. in Epiſt. ad Leonem Pap.

Joann. 3. verſic. 21.

CXXXII. Et haec ſunt, quae temporis anguſtia preſſi, aliiſque diſtracti occupationibus animadvertere potuimus adverſus *Diſſertationem Hiſtorico-Phiſiologico-Moralem* pro inſubſiſtentia opinionis Socratis de vetuſta Eccleſiae conſuetudine, pro antiquorum Chriſti-fidelium purgatione ab Avium comeſtione tempore Quadragèſimae, & pro verâ, & Catholicâ ſententiâ tuenda erga ciborum delectum in Antepaſchali jejunio; quae omnia, ea qua par eſt animi revetentia Cenſurae Sanctae Romanae Eccleſiae, ejuſque Apoſtolicae Sedis ſubjicimus, atque humiliamus: Declarantes ipſa omnia ſcripſiſſe, non ut Authorem *Diſſertationis* confunderemus, ſed ut chariſſimum moneamus in Chiſto Jeſu Domino noſtro; cui omnis laus, & gloria in Secula Seculorum Amen.

F I N I S.

	Errata	*Corrige*
Fol.4.ver.8.	mantium	manum
ibid. v.13.	licitam	licitum
7.v.13.	quoddam	quaedam
ibid. v.31.	conſuetudinem	conſuetudine
10.v.31.	aliud	alium
12.v.5.	Antepaſchale jejunium	Antepaſchali jejunio
13.v 22.	puderi	pudere
14 v.3.	Canonicas	Canonicis
15.v.4.	rationes illae	rationes illas
18.v.2.	renorenda	removenda
ibid. v.26.	exhortentes	exhorrentes
19.v.18.	praecibus	precibus
22.v.27.	app.opinguare	appropinquare
23.v.22.	redicata	radicata
ibid. v.28.	menſes	menſis
25.v.16.	luculentibus	luculentis
26.v 11.	proinnde	proinde
29.v.14.	Patruum	Patrum
32.v.9.	in patronum	uti patronam
ibid. v.10.	Conſuetudini	Conſuetudinis
39.v 9.	graſſibilibus	greſſibilibus
41.v.1.	temerentur	timerentur
42.v.28.	procreantur	procreentur
45.v.24.	parvitacere	parvifacere
46.v.25.	quam ad futuro	quam de futuro
47.v.3.	Antepaſoali	Antepaſchali
59.v.22.	eadem	eandem
64.v.27.	manus	munus
66.v.5.	Akvinius	Alcuinus
77.v.1.	praecarentur	precarentur
82.v 26.	lactem	lac
86.v.22.	eſum	eſu
89.v.18.	hebdomatibus	hebdomadibus
ibid. v.22.	quam	quem
ibid. v.26.	hauxit	auxit
91.v.13.	regionis	religionis
95.v.2.	aducat	adducat
97.v.11.	axioma	axiomate
ibid. v.18.	audeo	audio
99.v.32.	eis	eo
102.v 5.	probet	probat
ibid. v.8.	ſub nominis Conſuetudine	ſub nomine Conſuetudinis
106.v.2.	procreata	procreati
ibid. v.4.	compoſitas	compoſitos
107.v.24.	producta	producti
108 v.20.	mecaberis	maecaberis
ibid. v.16.	intret	intrat
114.v.21.	Patruum	Patrum
116.v.17	Huiuſmodi	Hujuſmodi
129 v.19.	avis	aves
130 v 11.	Patruum	Patrum
131.v.2.	Spiritus dominus	Spiritus domini
ibid v 31.	cogit	cogunt
133.v 25.	loculenter	luculenter
135.v.32.	Patruum	Patrum
136.v.5.	retrohuntque	retrahuntque
137.v.4.	Patruum	Patrum
ibid. v.9.	Patruum	Patrum
138.v.29.	Patruum	Patrum
142.v.4	Patruum	Patrum
145.v.21.	antumat	autumat
146.v.9.	progeniti	progenitos
148.v.1.	Elementali	Elementari
151.v.15	uſum	uſu
153.v.28.	aſſolent	aſſolet
156.v 24.	Alberum	Arborum
158.v.1.	Subjecete	Subjacere
ibid. v.1.	Dominani	Dominamini
160.v 14.	Parentum	Parentem
161.v.22.	contractare	contrectare
164.v.14.	diductione	deductione
ibid. v.29.	elementali	elementari
165.v.7.	elementalem	elementarem
168.v 7.	philoſophare	philoſophari
169 v.15.	laticante	laticans
ibid. v.32.	Oltrae	Olteae
170.v.18.	holeribus	oleribus
ibid. v 19.	data	datae
171 v.6.	promontorum	promontorium
173.v.9.	carnium	carnibus
176.v.11.	concruunt	congruunt

MAG 483.